
ILLVSTRI ADMODUM viro D. Gabrieli le Veneur, Ebroicen. Ecclesiæ Præsuli dignissimo, F. Claud. Spinæus, Prædicator Theologus. S.





Vm hunc libellū nostra interpellatiōe & opera viderem prælo accingi, de eo nūcupādo cœpi cogitare: vt auspicijs alienis aliquādo illustrior prodire cōspiceretur. Tumque existimaui dignum, si illum ascriberem viro qui dignitate & virtute libelli meritum vel æquaret, vel superaret. Quem te vnum comperijsse, S. Præsul, mihi haud dubiè persuadent tuæ fidei integritas, literarum (etiam sacrarum) præstans cognitio, cætera item multa de dotibus tuis, cùm generis tui, tum virtutum tuarum splendore clarissimis, signa vt certissima ita notissima cunctis. Quibus pulchrè admodum cū

*huius libelli authore docto siquidem & do-
ctè Christiano, conspirare videris. Qui illu-
strissima Ferrariorum gente exortus, vir-
tutibus & literis sic excelluit, vt inter non
modò ordinis nostri, sed & vniuersitatis
doctissimorum virorum proceres, summus,
summoq; honore dignus haberetur. Quin-
que (quoad vixit) ad religionem Christia-
nam desiderium sic incessiuit adeoque fla-
grans, vt scriptis varijs, nunc aduersus gen-
tes, nunc aduersus pestilentes hæreses, eam
statuere, confirmare & defendere semper
insudarit. Cuius viri zelo, pietate ac studio,
non inferiorem ausim te (citra assentationē)
prædicare. Qui quàm vigili assiduaq; sol-
licitudine, quantaq; morum puritate, quan-
ta insuper synceritate doctrinæ susceptum
gregem Christi curaueris: ac demum illæ-
sum inaccessumque à lupis protexeris. Nunc
tanto Præsule gaudens, testatur Ecclesia tua
Ebroiceñ. ab hæresi omni inter reliquas re-
gni Gallici partes incōtaminatior hucusque
gloriosè perseuerans. Quibus verò modis id
effeceris, silentio præterire nequaquam mi-
hi visum est. Eoq; lubētius quo cæteris Præ-
sulibus, veri Episcopi munus clarius effal-
gere possit. Quum etenim probè scires Chri-*

stianam fidem iisdem artibus multò melius retinendam esse: quibus iam olim nata fuerat & propagata, viros tibi asciuisti, pietate & literis conspicuos. Quibus plus valuisti ad gregem tuum incorruptum conseruandum, quàm armatorum fulgentibus copiis. Tametsi nō ignorem iis fidei pertinacis hostes, in eamq; blasphemos (quibus Euangeliū impunitatē nequaquā affert) atrocius quōq; insectandos. Quid amplius? Ad hæc addis (quod dissimulare nequeo) curā & iudiciū, quo adolescētes ingenio præstātes ex humilib⁹ tectis requiris, hosq; demū literis piè instituendos, in gymnasiis & academiis liberaliter tradis, vt postera ætas haud per te careat viris, quibus Ecclesiā Christi tūc conueniat defensari. Quæ tibi vtinam similes multos dudū habuisset, qui propenso adeò studio quod ad eorū Ecclesiæ attinebat curassent: non sic hæreses irrepsissent, aut non vsqueadeo adoleuissent, schismata non sic pcestreperent, non denique sic afflicta Ecclesia lugeret: sed sua vnitate gauderet, suaq; primæua floreret sanctitate. Quæ mala nobis emerserūt (non dubito) pastorū inimia, qui quæ sua sunt quærētes postremā aut nullā curā eorū habuerūt quæ sunt Christi.

Tu verò perspectã optimè habens tui muneris rationẽ, perge bene cepta nunquã intermissurus. Hocq; insigne opusculũ, de Libertate Euangelica, viro nobilitate & cõditione præcipuò editum tua illustris dominatio suscipiat. Quod quum per manus traderetur, tandẽq; peruenisset in manus Doctorũ celeberrimi F. Ioannis Benedicti, nostri cœnobij Parisiẽ. Regentis primarij, ab eoq; iudiciũ accepisset, quo prodiret in lucẽ, vt dignũ doctissimorum lectione, adornandum suasu illius suscepi, tibiq; tanquam Pontifici decimus meorũ studiorum consecrandum. Quod tanto auidius leges quo censurã accepit ab illo Benedicto suo, omnium quos nostra ætate Europa tulit, theologo pietate & literis integerrimo: eiúsque lectione animosius Libertatem nostram Christianam aduersus quosque hostes defendes. Quod speramus et precamur Vale Antistites amplissime, Athenis Parisiorum, duodecimo Cal. Ianuarij.


REVERENDISSImo in Christo Patri, ac Domino, D. Laurentio Puccio, Sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinali, Prædicatorũ ordinis protectori, Frater Frãciscus Siluester, Ferrariensis, eiusdem ordinis Magister generalis Sal. dicit.



N ea calamitosa incidimus tempora, Reuerendissime Domine, vt nemo Christianus sit censendus, qui pro Rom. Ecclesiæ dignitate pugnã non capesserit. Nam vsqueadeo pestilens ille Lutheranus morbus inualuit, vt non solùm Germaniæ, verùm & Italiæ, magnam partem (vtinam me mea fallat opinio) occuparit. Id quod sanè (si ita de animo, sicut de facie cognoscerẽt homines) perspicuò fortasse cerneretur. Semper quidem Rom. Ecclesia perditorum maleuolorumque hominũ morsibus patuit, semperque il-

lius moribus est detractū. At nunc non moribus tantùm, sed fidei, sed legibus, sed sanctionib⁹ vulgò detrahitur: quo fit, vt ij qui aliquā sacris literis nauarint operam, nisi omne studium, officium, ingeniū in ea exornanda profuderint, hominū male de Christiana Religiōe sentientium calūniā sint subituri. Cæterū quū plerique doctissimi viri contra Lutherum, execrandam certe Christiani nominis pestem grauissimis disputationibus decertarint, quādam ego breuem Apologiam edidi, in qua Rom. Ecclesiæ instituta ostendi, cum Euangelica Libertate iure optimo cōuenire. Nam ea Lutherus diabolicæ cuiusdam Libertatis assertor, hac ratione conatur euertere, quòd ab Euangelicæ Libertatis conditione, sua dicat opinione desciscere. Tuo autem nomini leuem hunc meum laborē nuncupare constitui: quippe quòd videam te pro Rom. ipsa Ecclesia & noctu & interdiu corpore, animo, ingenio, (quod sanè in te exactissimum est) laborare. Neque enim fieri potest, vt tibi pro Rom. Ecclesiæ, imò pro totius Christianæ reipublicæ salute, operam, diligentiam, industriam expēdēti, non sint ea oīa gratissima, quæ pro illius defensiōe fuerint vestigata. Accedit, quod nō

me præterit, quàm suauiter abs te diligar, mirificèque obseruer. Ex hac enim tua humanitate mihi ipse polliceor, nihil à me perscribi posse, quod nō tu pro singulari qua me complecteris beneuolentia, sis comprobaturus. Valeat dominatio tua, felixque viuat.



DE EVANGE-lica Libertate Opuſculum.

Quid Libertas, & quibus conueniat. CAPVT I.



Vum breuem de Euangelica Libertate tractatum edere conſtituerim, veſtiganda mihi imprimis eſt cõmunis ratio, definitióque Libertatis: eadémque perſcribenda. Quippe quod ea ignorata difficillimè hoc poſſit explicari negotium. Eſt igitur(vt ab omnibus eſt receptum)in hoc abſolutę Libertatis ratio conſtituta, vt quædam propriæ actionis ad diuerſa,atque etiam ad oppoſita,facultas ſit ac poteſtas. Nam cùm rẽ quãpiam ita diligimus,vt & eligere eam, & non eligere,in noſtro poſitum ſit arbitrio,eam libera electione decerni ne-

mo est qui non intelligat. Idem quoque in exteriori euenit actione. Eum enim hominem agere liberè in confesso est, qui agendi non agendíque, faciendi hoc aut aliud, liberam habeat facultatẽ. Quis enim huncipsum, qui & sedere potest & non sedere, si sedeat, sedere liberè non fateatur? Pari lege is liberè agere dicendus est, qui ex multis, quibus ad vnũ peruenire finem potest, quod ipse maluerit, pro sua potest voluntate ad præscriptum finem accommodare. Si enim multis curari ægritudo modis queat, potest is qui saluti consulit, quam curandæ ægritudini commodiorem putauerit, eam sibi medicinam asciscere. Quòd si vi aliqua atque oppressione quiuis in eius guttur humorem instillet, non proprio arbitratu medicinam sumit, sed violenter, sed necessariò, sed repugnante natura. Hæc, inquam, propria veráque absolutæ Libertatis ratio est, vt pote que deo Opt. Max. quæ Angelis, quæ hominibus consensu omnium sit attributa. Nã in peccata atque flagitia labi posse (quod aliqui fortasse attribuũt Libertati) ab absoluta Libertatis

ratione longe eſt alienum. Sed ei tantũmodo Libertati accidit, quæ in imbecilla caducáq; natura reperitur. Quáobrem & in ſuo proſequio ait B. Anſel. Peccare poſſe neq; Libertaté eſſe, neq; Libertatis partem. Non enim Deũ Opt. nõ Angelos, non beatos homines (quanquam mali quippiã audere non poſſunt) Libertate priuamus. Ná quicquid in creatis rebus Deus efficit, idipſum poteſt non efficere: propterea ꝙ nihil vſqueadeo ſit cũ diuina bonitate coniunctum, vt illo non producto manifeſtari non queat. Angeli quoque atque etiã felices animę (tametſi malè velle nequeunt) pleraque tamẽ bona velle poſſunt, ac non velle: pleraque etiam agere, ac non agere. Poſſunt enim Angeli naturali aliqua ſua ſcientia, beatæ verò animæ, ea doctrina, quam dum mortali tegebantur corpore, ſibi ſtudio ac diligentia cõpararunt, vti & non vti. Poſſunt de ſtirpium naturis, de hominũ moribus, de cæleſtiũ corporũ motu conſiderare. Quare & ipſis Libertatis rationẽ cõdonem⁹ oportet. Cæterùm hoc quaquã prætereundũ cenſeo, quũ quan-

dam ad opposita facultatē Libertatem esse dixim⁹, nullā oportere in hac Libertatis definitiōe oppositarum actionū alternationem successionémue intelligi. Quod enim rē prius à me desiderio conquisitā, postea ab omni mea cupiditate reiiciam, ad meā quidē attinet Libertatē: propterea ꝙ variabilē inconstātémq; volūtatē nactus sim. Nihil enim humana inconstātius voluntate. Sed hæc mutatio volūtatis cōmunē absolutámq; Libertatis rationē non ingredit̄. Quis enim vsqueadeo desipiat, vt īmortalis Dei (quē omnis Libertatis authorem esse cōfitemur) in contrariū mutari posse dicat institutū? Ego enim (inquit) Deus, & non mutor. Eius igitur Libertatis, quæ Deo, quæ Angelis, quæ hominib⁹, cōmunis est definitio, hanc tantūmodo cōplectitur rationē, vt facultas quædā sit vtrius oppositi, vtriúsue ad vnū finem medii deligendi, aut etiā conficiendi. Sed scrupulus quidā sese mihi offert, qui hāc veram Libertatis definitionē labefactare, imò tollere, imò funditus euertere videatur. Nā quū Deus Max. quicquid in rebus se

factură conſtituit,æterna volūtate ſanciuerit, ſi à primo ſuo cōſilio mutari nō poteſt,periclitari in eo videtur ratio Libertatis:quando nullo pacto confirmari queat,diuinā in oppoſitas actiones volūtatē effūdi poſſe. Quū etem ſempiterna ſua lege, quā eſſet naturā cōditurus deſignarit, nullū à nobis inueniri aut tēp⁹, aut punctū tēporis poteſt,in quo habeat ad oppoſita facultatē. Neq; enim eo momēto quo vniuerſā creaturarū molē condere inſtituit,ancipitē eius poſſumus dicere volūtatē: vt inquam vniuerſi orbis creationē & decernere ſuo poſſet arbitrio,& non decernere. Pugnāt ēm inter ſe, q̄ vno momēto cōdere cōſtituat vniuerſum,eodemq; ancipitem & quaſi dubiā de eo condendo habeat volūtatem. Nā ſi voluit condere,quī exiſtimare poſſumus eū tūc ancipitis dubiæq; volūtatis extitiſſe?Sed neq; momentū aliquod poni poteſt,in quo de vniuerſi creatiōe aut non cogitarit aut cer'è non deliberarit.Quādoquidē nihil ſit,quod æternitatē q̄ propria diuinę vo'untatis duratio eſt,præcedat.Quod ſi addiderimus diui-

nã à ſuo propoſito, id quod ſacræ nobis tradũt literę mutari volũtatẽ non poſſe, aut Deum ipſum Max. liberæ volũtatis nõ eſſe, aut eam quã abſolutè Libertatis rationẽ eſſe definiuim⁹, vanã eſſe fateamur oportet. Difficilis ſanè hæc quæſtio eſt. Sed ſi quãto interſtitio diuina volũtas à creata deſciſcat animaduertimus, facilè Gordianus hic nodus aut reſolui poterit, aut reſcindi. Non eadem itaque diuinæ creatæq; voluntatis conditio eſt: ſed planè longè diuerſa. Creata nanque quæ in ſuis actionibus ſucceſsionem habet, ſic in diuerſa in oppoſitáque flecti poteſt, vt in neutram quãdoque feratur partem. Poteſt enim quiſpiã aliquo temporis interuallo nihil de capeſcenda aut non capeſcenda cum hoſte pugna cogitare, ſuíque muneris eſt ꝙ in ea re commodius iudicauerit deliberare. Quò fit, vt in humana voluntate ſit potentialitas quædã, cum libertate coniuncta. At hoc à diuina voluntate quammaxime abhorret: quippe quòd ſimpliciſsim⁹ quidã act⁹ De⁹ ſit, omníſque paſsionis, oĩs defectus, omnis indigentiæ ſuapte natura ſit expers.

pers. Quare non est voluntas diuina instar humanæ vllo vnquam tempore aut dubia, aut incerta. Sed in hoc Libertatis eius ratio est constituta, vt in neutram contradictionis partẽ, in nullámq; creatarũ rerum naturã absoluta quauis necessitate feratur. Quemadmodũ enim nulla res est, sine qua manifestari diuina bonitas nequeat, ita cum æterno Deus optimus suo instituto quippiam se cõstituit conditurum, eodem æternitatis momento potuit vt non ederetur, in lucem constituere. Est enim nõ in aliquam aut naturæ aut voluntatis necessitatem, sed in amplissimam Dei liberalitatem, rerũ creatio referenda. Non igitur ea ratione facultatem ad diuersa atque ad opposita in communi Libertatis definitione locauimus, quasi liberam omnem voluntatẽ tanquam incertam ancipitémque omni quandoq; actione carere cẽseamus. Sed quoniam in eorum neutrũ vlla absoluta necessitate propellitur, quãuis cum vni⁹ electione oppositum pariter electum esse non possit.

De partibus Libertatis.

CAP. II.



Onfirmata constitutáq; absolutæ Libertatis ratione, definiendum nobis est in quas sit Libertas partes diuidenda. Igitur cum quandam à violentia atque à necessitate negationem Libertas includat: dũ inquam in diuersa ad vnum finem spectantia, atque in vtranque(vt exposuimus) contradictionis partem viam habet, ad eorum numerum, quæ vim necessitatémque inferre solent, sunt Libertatis partes collimitandæ. Nam cunctis est hoc negationibus commune, vt ad affirmationum numerum quibus suapte nâtura repugnãt, sint definiendę. Quinque enim sensuum negationes esse. Si sensus quandoque posuerimus, nemo est qui nesciat. Nam quemadmodum visiuæ virtutis vna negatio est, quam cæcitatẽ appellamus: ita & suam auditus negatio-

nem habet, quæ poteſt ſurditas appellari. Idémque de cæteris ſenſibus eſt dicẽdum. At violentia triplex eſt: itidem & triplex neceſsitas. quædam enim abſoluta eſt, atque omni ex parte perfecta: ea ſcilicet, quæ ad certum quippiam vſqueadeo immobili neceſsitate impellimur, vrgemúrque, vt nulla inde ratione diuertere valeamus, dum enim à quopiam alicubi gentium repugnãte voluntate detineor, violentiam patior. Dum & mihi felicis nomen offertur, quæritúrque ex me, nũ felix eſſe velim, nequeo felicitatis conditionem renuere, imò tali in ipſam neceſsitate deducor, vt miſeriã velle non queam. Vna itaque Libertatis ſpecies eſt, quæ omnem hanc violentiam omnémque abſolutam neceſsitatem excludit. Sic enim dicitur is in agendo liber, cui nulla violentia, nulláque agendi neceſsitas incumbit. Sed & hæc Libertatis ſpecies bifariam diuiditur: vna enim Libertas eſt, quæ & violentiam & abſolutam neceſsitatem eliminat: hæcque perfectæ Libertatis (quam ſuperiori capite definimus) ſibi vendicat ratio-

nem. Altera verò eſt, quæ omnem quidem violentiam arcet:veruntamem aliquam naturalis inclinationis neceſsitatem admittit.In appetitu nanque felicitatis primæ Libertatis ratio minimè inuenitur, quando eam naturali quodam deſiderio voluntas omnis affectet. Sed alterius libertatis ſpecie felices eſſe volumus: propterea quòd non violentia, ſed appetitus inclinatione felices eſſe cupiamus. Alia neceſsitas eſt, quæ imperfectæ quidem neceſsitatis rationem habet:quippe quod impetus potius quidam ſit quàm neceſsitas: hac tamen ratione neceſsitatis definitione participat, quod ad bene frugalitérque viuendum magno incommodo fit, ac impedimento: vt ſunt ſacrilegia, furta, adulteria, cateráque id genus vicia: quæ ſuo pondere in perniciem trahunt. Hanc neceſsitatem ſiue malueris bene agendæ vitæ impedimentum appellare, alia ſpecies Libertatis excludit, quam Libertatem dicimus à peccato. Tertia neceſsitas eſt, quæ & neceſsitatis ratione imperfectæ participat: quæ,inquam,ſuo pon-

dere in expediundo bono opere difficultatem ingerit: ſicut in ægritudine, ſicut in fortunæ incommodis, ſicut in rerum domeſticarum moleſtiis accidit. Hanc neceſsitatẽ ſiue hoc liberæ actionis impedimentum, tertia ſpecies Libertatis explodit, quæ Libertas à miſeria nuncupatur. Miſerum enim hominem faciunt ægritudo, infortunia animi, moleſtiæ. Triplex igitur Libertatis genus eſt, à neceſsitate, à peccato, à miſeria. Hiſce poſſet & eaipſa Libertas addi, quam Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribẽs, Libertatem à iuſtitia vocat. Sed hæc, ſi rem ipſam conſideremus, ſeruitus potius quàm Libertas dicenda eſt. Nam quum voluntas omnis à natura in bonum prona ſit, nunquam verò in malum, niſi aliqua boni ſpecie decipiatur, ſeſe inſinuet: ea quidem Libertas quæ impedimenta ad bene viuendum tollit, veræ Libertatis ratione digna eſſe non poteſt. At quæ ad perditos mores impedimentum excutit, ea non vera Libertas eſt, ſed quandam Libertatis ſpeciem gerit, dum reiecta iuſtitia, quæ inſtar

freni humani animi ægritudines modera batur, quandã malè viuendi licentiam adipiſcimur. Alii quoque à diuo Bernardo Libertatis afferuntur modi. Eſt enim apud ipſum Libertas arbitrii conſilii, Libertas beneplaciti. Sed hæc libertatis diuiſio poſterior eſt, atque inter materiales eſt collocanda. Ea enim ſola formalis eſt partitio Libertatis, quæ à neceſsitate, quam ratio Libertatis excludit, eſt deſumpta. Bernardus autem non à neceſsitatis excluſione, ſed à diuerſa comparatione ad bonum ſpecies Libertatis accepit. Eſt enim ea Libertas arbitrii, qua bonum illud quod honeſti ſpeciem habet, noſtra deligimus voluntate. Libertas conſilii, qua rebus iis quæ ad felicitatem proſunt, vtimur. Beneplaciti autem Libertas, qua ſponte in boni adeptione delectamur. Pulchra ſanè hæc eſt partitio Libertatis. Sed quoniã noſtro inſtituto aut nihil, aut parum inſeruit, ea prætermiſſa priori, vt ſeſe opportunitas obtulerit, felicius vtemur.

Quid sit Euangelica Libertas.

CAP. III.



EVangelicam autem Libertatem eandem esse quã & Christianã, appellamus satis superque cõstat quãdo Christianorum lex, qua eorum mores actionésque instituũtur, nihil aliud sit quã Euangeliũ. Sed duo sunt ex quibus Euangelica lex constituitur. Spiritus sancti gratia, ipsáque Euangeliorum perscriptio. Primum sibi in hoc genere locum gratia vendicat Ad Rom. enim Apostolus scribẽs: Lex, inquit, vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati. Augustinus quoque in libro de Spiritu & litera ait: quæ sunt leges Dei ab ipso scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti. Secundũ verò locum sibi Euangelij scriptam consciscit: vt·

pote quæ non modo ad acquirẽdam gratiam nobis auxilia subministret, verum etiam ea quibus ipsa Spiritus sancti gratia pro eius dignitate vti valeamus copiosissimè tradat: hoc ipsum enim mandatũ literis Euangelium Christi, tam diuinitatem, quam humanitatẽ, de quibus est Christiana fides, qua præparamur ad gratiam, manifestissimè explicat. Multis etiã modis ad mundi contemptũ, quo gratiæ capaces efficimur, nos hortatur: admonet præterea vt omnia virtutũ opera in quibus bonus est gratiæ vsus constitutus, cõplectamur. Quo fit, vt ea Euangelica Libertas dicenda sit, quam & Euangelij scriptura, & Spiritus sancti gratia Christianis impertit. Cæterùm hæreticorũ in hac re cauendæ sunt insidiæ: putant enim nullum Euangelicæ legis debere interpretem recipi, nihílque ad Christianorũ legem pertinere, quod in his libris quæ Euangelia nũcupamus, perscriptum non sit: dicùntque reiiciẽdum omne esse, quod non in Euangelijs aut saltẽ in aliqua Epistolarum Pauli sit cõtentum. Horum primum quàm sit impudenter excogitatum,

vel ex hoc intelligi poteſt quod innumeros fermè tam Græcos, quàm Latinos Sãctiſsimos Patres temeritatis arguunt, qui ſacra Euãgelia ſunt interpretati, dãnant præterea tot ſeculorũ Catholicæ Eccleſię obſeruationẽ, quæ ſacrarũ Literarũ interpretationẽ recipit, eáſque in diuinis laudibus decãtat: ſeipſos deniq; criminis arguũt qui cũ oẽs eiuſmodi narrationes reiiciũt, ſe ſolos Euãgeliorũ indagatores cõſtituũt. Sicque dũ omnes ſcripturarũ expoſitores euertere ſtudẽt, ſeipſos quoque cõdẽnant qui fidos ſe, vt aiunt, Euangeliorũ interpretes agunt. At quis vſqueadeo inſaniat, vt tot ſanctiſsimis pariter atque doctiſsimis Patribus reiectis, ſibi ſoli credi velit & cupiat? Sunt pleraque in Euãgelijs obſcura latẽtiàque: ſunt & nõnulla quæ niſi piè & fideliter interpretemur, inter ſe pugnare videãtur. Quis enim hæc Chriſti verba Matth. 11. Nemo nouit filium, niſi Pater: nec Patrẽ quis nouit, niſi fili9, & cui voluerit filius reuelare, interpretis indigere negarit? Matth. quoque Capite 5. dicitur: Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videãt opera veſtra bona. tũ pau-

cis interpositis subiũgitur Attendite nẽ iustitiã vestrã faciatis corã hominibus ,vt videamini ab eis.Nõne posterior hæc sententia priorẽ tollere videtur & expũgere? Tẽpus me deficiet, si vniuersos Euãgelij locos enumerare voluero,qui fidũ piũmque enarratorẽ expostulent .Quòd si aliquo in sacris literis opus est interprete, qui sacros illos doctissimósque Doctores, quos ecclesia recipit ac veneratur,reiiciã, vt aliorũ qui a Christiana simplicitate desciscunt,a Christianísque abhorrẽt moribus imiter ineptias.Falhũtur nimirũ, hæretici,si in tãta iustitia sapiẽtes suorũ inuentorũ sectatores se habituros existimẽt. Alterũ quod isti ipsi temeritatis pleni ingerũt,nihil inquã quod in noua lege præscriptũ nõ sit, ad doctrinã Christianã per tinere, facilè ex sacris Literis ex diuturnáque ecclesiæ cõsuetudine refelli potest. Quod enim multa Dominus noster Iesus Christus docuerit, quæ non sunt Literis cõmendata,ex Ioãnis Apostoli verbis con iici,imò clarissimè perspici potest:vltimo enim sui Euangelij capite inquit:Sunt & alia multa quæ fecit Iesus,quæ si scriban-

tur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros. At quemadmodum multa Christi signa atque miracula scriptis mandata non sunt ita & pleraque in synagogis & ciuitatibus docuisse, probabile est quæ sunt ab eis qui eius gesta scripserunt prætermissa. Quod etiam Apostolũ Paulum cum Christianam fidem prædicaret instituisse credimus, qui nullo suarum Epistolarũ libro sunt perscripta. Ad Tessalonic. enim capite secundo scribens ait: Fratres, state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonẽ, siue per Epistolam nostram. Idem quoque alijs Apostolis contigisse nemo, nisi ceruicosus & arrogans, diffitebitur: Ioannis enim 16. ad eos Saluator noster Iesus Christus dixit: Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscũ in æternum, spiritum veritatis. Quo fit vt quamplurima in catholica seruari cernamus Ecclesia, quæ per traditionẽ apostolorum hęreditaria quasi successione ad posteros deuenerunt, tametsi in eorum libris nõ inueniũtur scripta. Quamobrem Christus ipse Aposto-

lorũ dictis ac institutis fidẽ arrogans. Qui vos, inquit, audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, & eum qui me misit. Quæ sane verba ad oẽs etiam qui sunt Apostolis in Christianæ reipublicæ gubernatione suffecti, dicta fuisse Beatus Cyprianus martyr definit. Actuum etiam 16. dicitur: Cúm autem pertrãsirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant ab Apostolis decreta, & superioribus qui erant Hierosolymis. In eandẽ quoque sententiam dicit Augustinus in quinto de Baptismo contra Donatistas libro. Sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & hæc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non inueniantur. Vir denique magni nominis & põtifex Max. Innocentius tertius, habetúrque in capite Cum Marthæ, extra de celebratione missarum. Multa & factorum & dictorũ a Domino fuisse ab Apostolis prætermissa, eáque ipsos Apostolos aut verbo aut facto suppleuisse asserit: in cuius rei testimonium Apostolum Paulum citat, qui vt in Apostolorum actibus legitur ait. Meminisse oportet nos verbi Domini nostri

Iesu Christi, qui dixit: Beatius est dare quã accipere. Ad Corinthios etiam scribens: Visus est, inquit, plusquam quingentis fratribus simul, de quibus tamen nullus Euãgelistarum mentionem facit. Euangelicæ itaque legis nomine non ea tantummodo quæ in Euangeliis Epistolísque, quas canonicas vocant, scripta sunt, intelligimus: verũ etiam ea ab Apostolis facta dictá ve quę ad nos quasi per manuum traditionem deuenerunt. Vt autem eò reuertamur vnde digressi sumus, eã Euangelicã Libertatẽ esse dicimus, quæ a Christiana ista quá definimus lege proficiscitur. Hæc autem duplex est: vna scilicet à peccato, altera à legis antiquæ onere atque subiectione. Nam per Spiritus sancti gratiam (quam primum in Euangelica lege tenere locum diximus) à peccati seruitute manumittimur. Per ipsum verò scriptum Euangelium ab antiquæ legis obseruantia liberamur: ad eáque tantummodo prę ceptis vrgemur, sine quibus gratia haberi non potest. In his duobus Libertatis modis tota Christianorum Libertas est constituta.

Quòd Christianæ Libertati non derogat esse supremum unum principẽ, à quo Christiana Respub. gubernetur.

CAP. IIII.



Oſt definitam Chriſtianæ Libertatis rationem, reliquum eſt vt oſtendamus huic nõ officere Libertati, quod omnia ſuis legibus moderetur ac gubernet. Sunt enim quibus placeat neminem debere in catholica Eccleſia eſſe, qui ſupremum inter omnes gerat Magiſtratum: Sed quam poteſtatem Chriſtus optimus impartiuit, eam omnẽ Chriſtum vniuerſali Eccleſiæ primum contuliſſe: tum ex ea in eos qui gradum aliquem in Chriſtiana noſtra Eccleſia tenent, defluxiſſe. Sed ſi rerum publicarum

modum naturámque ſpectemus, intelligi facilè poterit ſupremum aliquem in Chriſtiana repub principem eſſe oportere, qui ouium Chriſti curam gubernationémque ſuſcipiat. Inde autem huiuſce confirmandę rei initium ſumere poſſumus, quòd Chriſtus ipſe maximus, reipub. Chriſtianæ inſtitutor, eam rempublicam condere debuit, quæ optima eſſet omníque ex parte perfecta. Nam cùm per ipſum reges regnent, legúmque conditores iuſta decernant, rationi conſentaneum admodum eſt, vt quam conſtituere per ſe rempubl. decreuerat, eam ſanè inſignem omniúmque excellentiſſimam efficeret. Quis auté negarit eam multitudinis gubernationem eſſe optimam, in qua vnus rerum omnium moderator præſideat? Nam ad gubernationis finem, ad pacem, inquam, & concordiam ſubditorum, quietiùs, ſuauiùs, feliciùs per quàm per plures: quorum iudicium diuer ſum facilè eſſe poteſt & contrarium. Hoc vnum omnium principem peruenitur, autem ex his & quæ à natura, & quæ ab

arte proueniunt, possumus coniectare. In humano enim corpore vnum quoddam principium est, quod membris omnibus vitam motúmque influit: cor, inquam, siue malueris, caput. Grues, teste Auicēna octauo de anima libro, vnum habent regem ac principem, qui, vt faciliùs incidētes exaudire tumultus possit, cùm cæteri tecto alis capite dormiant, exerto ipse capite dormit. Apes (vt D. Hieronym⁹ ad Rusticum Monachum scribit) vnum sibi constituunt regem, quem nisi præcedere agmen viderint, nunquam ab aluearí digrediuntur. In naui vnus gubernator sit, necesse est. Domus quælibet suum rectorem suúmque dominum habet. Vnunquodque cœnobiũ vno præposito gubernatur: in omni denique negotio (vt tandem finem faciam) nisi vnus sit, cuius studio ac diligentia dirigatur, malè res agitur, ægréque perducitur ad finem. Quid? nonne Greciæ ciuitates (authore Iustino) dũ singulæ imperare cupiunt, omnes imperium amiserunt? Quapropter bene sapientérque cecinit Lucanus:

Nulla

Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas Impatiens consortis erit. Nec minus prudenter ab Homero dictũ existimo, cùm secundo Iliados libro ait: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. id est, Non est bonũ vt dominentur multi. vnus dominus sit, vnus rex. Ad hoc etiam opinio Pythagoræ videtur alludere. Nam cùm duos rerũ ordines statuisset: vnum scilicet bonorum, alterũ malorum: In bonorum ordine vnitatem, in malorum verò, multitudinem pluralitatémque collocauit. Quòd si Christiana Respu. (quam Catholicam, id est vniuersalem, nũcupamus) optima omniúmque dignissima est constituta: eam debere ab vno principe gubernari fateamur oportet. Accedit ꝙ cælesti illi Ecclesiæ (quam Triumphãtem dicunt) similior conformiórque nostra hæc Militãs Ecclesia erit, si vnus in ea princeps fuerit constitutus. In illa enim vnus est omnium rector, ipse scilicet Deus Optimus Maximus. Quãobrem dicitur à Ioãne in Apocalypsi: Vidi ciuitatem sanctam, Hierusalem nouam, descendentem de cælo. Mosi quoque fuerat præmonstratum vt *Apocal. 21.* *Exod. 25.* *Hebr. 3.* *Actuũ 7.*

tabernaculum, inſtar eius quod ſibi in monte fuerat oſtenſum, conſtitueret. Quid? nónne hanc Eccleſiaſtici principis vnitatẽ ſeruator ipſe, Chriſtus Ieſus, declarauit, cùm dixit Ioannis 10. Fiet vnum ouile, & vnus paſtor? Dices fortaſſe: Vnũ habeat Chriſtiana Reſp. principem: vnum caput, vnum paſtorem: non propterea ſequi neceſſe eſt, vt vnꝰ mortalis homo ſit, qui ſupremum in ea paſtorẽ ducémque agat? Satis enim ſupérque eius dignitati conſulitur, ſi Chriſtus ipſe, qui hanc à fundamentis erexit Eccleſiá, illius princeps, caput, & rector exiſtat. Cæterùm, qui hoc cõmentũ effingit, non videt illud ex humanæ conuerſationis inconſideratione (ne dicã ignoratione) procedere. Ecquid? non humanæ noſtræ conditioni cõſentaneum eſt, vt is princeps, qui noſtram eſt Rempub. moderaturus, aliquo à nobis exteriori percipiatur ſenſũ, quando omnis ferme noſtra operatio cum ſenſibilibus rebus ſit coniuncta? Nam omnibus quas condidit Deus creaturis, pro earum natura conditionéque prouidit. Dicito autem mihi: tu, qui te aſtutè à principis le-


gibus ſubducere moliris: nône Chriſtus, qui antea viſibilis erat hominibus, inuiſibilem nobis poſt aſcenſionem in cælũ vitam viuit? Petro quidem Romæ, Damaſci Paulo. Nonnunquam etiam fortaſſe aliquibus aliis, poſteaquam è noſtris ſeſe oculis præripuit, viſus eſt. At multitudini occultus manet, & incognitus, humanæ igitur noſtræ conditioni congruũ eſt & accommodatum, vt aliquis huiuſce noſtræ Reipub. præfecturam gerat, qui aliqua nobiſcum ſenſibili conſuetudine conuerſetur, ipſiúſque inuiſibilis capitis vicariam perſonam agat: quod ſi ita eſt, imò quia ita eſſe congruit rationi, non eſt cur timere debeamus, ne vnius hominis in Chriſtiano populo principatus eius aliqua ex parte imminuat libertatẽ. Non enim quod in alterius commodum vtilitatémque eſt inſtitutum, eius derogat libertati, quando id ſolum libertati officiat, quod voluntariæ actionis eius, præſertim quæ recta ſit, rationem tollit. Nam ea operatio, quæ hominem in malum trahit, dicẽda potius eſt ex quodam libertatis abuſu, quàm ex libera voluntate proficiſci. Quid? Si me de immẽ

ſa rupe volentem dare præcipitem deti
neat quiſpiam atque impediat:ecquid il
li crimini dabitur,quòd mea me liberta-
te priuarit? Inſanit profectò, furítque
qui hoc dixerit. Simili ratione,ſi vnus ſit
in Repub.princeps,cuius ſolertia cauea-
tur ne à perditis hominibus intertur-
betur,laceretur, diripiatur, ſuámque illi
omnem ſuam operam præſtet, vt tran-
quillam vitam viuat, boniſque in ea ac
prætextatis moribus ſtudeatur,non im-
minuit is Reipu. libertatem,ſed conſer-
uat,ſed auget,ſed in meliorem ſtatum
conſtituit.Nam cùm is Liber ſit(vt Ari-
ſtot. 1.ſuæ Methaphyſices lib. tradit)qui
gratia ſui: Seruus autem contraria ra-
tione,qui alterius gratia eſt,ac operatur:
ea multitudo quæ vno principe guber-
nàtur, Principem potius captiuũ te net,
q uàm ipſe multitudinẽ.Quicquid enim
is ipſe agit,cogitat,ſomniat(ſi verè Prin
cipis nomine dignus exiſtat)in Reipub.
ſuæ commodum operatur.Quammaxi-
mè ergo aberrant à vero,qui ea ratione
vnius principatus maieſtatem à Chri-
ſtiana Repu.arcere ſtudent,quòd Chri-
ſtianorũ videatur officere Libertati. Nõ

modo enim(vt oſtendimus) non officit, verumetiam magnopere prodeſt: & ita prodeſt,vt eo detracto,noſtræ Reipubli. dignitas, integritas, diuturnitas conſeruari non poſsit.Vbi namque plura in Repub.emerſerint capita, diſcordias ſummas,ac ſimultates facilè intercidere poſſe nemo, niſi rerum umanarum inſcius, ignorat. Diſcordia autẽ maximæ res dilabuntur, omnéque regnum,Saluatoris noſtri ſententia, in ſeipſum diuiſum deſolabitur,& domus ſupra domum cadet. Quamobrem & ſummus ille Peripateticorum facilè princeps Ariſtote.12. ſuæ Metaphy.lib.Dei Optimi Maximi vnitatem hac ratione concluſit, quòd entiũ multitudo diſponi malè non debeat: In multitudine autem pluralitas principatuum mala ſit.

Quòd Petrus à Chriſto Eccleſiæ caput & princeps fuerit inſtitutus.

CAP. IIII.



Am vnũ debere Christianæ Ecclesiæ caput ac principem esse, euidenti ratione monstrauimus. Nũc quòd Petrus à Christo Opti. Maxi. Catholicæ Ecclesiæ princeps sit institutus, est demonstrandum. Huius autẽ doctrinæ veritas non aliunde, quàm ex ipsis Christi verbis, est accipiẽda. Quippe quòd Christianam ipse rempub. & cõdiderit, & instaurauerit. At quoniam ab innumeris fermè doctoribus, & illis quidem eruditissimis, est hæc quæstio diligenter excussa: sat mihi abundéque erit, si ipsam extremis (vt aiunt) labiis attigero. Primus itaque Euangelii locus, qui sese ad huiusce veritatis confirmationẽ offert, est Matth. cap. 16. vbi cùm Christus discipulos, quem dicerent homines esse filium hominis, interrogasset, respondisséntque, Alii Ioannem Baptistã, alii Heliam, alii verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis: subintulit, Vos autem quem me esse dicitis? Ad quem continuò respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei

viui. Tũ Chriſtus: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cælis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Hiſce quidem verbis manifeſtò coniici poteſt, primatum Eccleſiæ Petro fuiſſe demandatum, vtpote ſuper quẽ Chriſti Eccleſia ædificãda erat. Cuiq; ſoluẽdi in cælis atq; ligãdi poteſtas erat tribuẽda. Obiiciũt autẽ ꝑpetui Ro. Eccleſiæ hoſtes Lutherani, nihil hoc loco datũ eſſe Petro, ſed de futuro tantũmodo promiſsionẽ eſſe factã. Agedum, nihil ex hiſce verbis datum fuiſſe Petro concedamus: nunquid non poteſt ex illis ipſis oſtẽdi fuiſſe quandoque primatum Eccleſiæ Petro datum? Non negabitur, ſcio, hæc promiſsionis cuiuſpiam fuiſſe verba: at cuius promiſsionis? nónne ꝙ Eccleſiæ fundamentum conſtituẽdus erat Petrus? Erátq; illi ligandi atque ſol-

uendi poteſtas conferenda? id quod ſanè ad Eccleſiæ ſpectat principatum. Quòd ſi vero pollicitus eſt Dominus Ieſus ſe illum Eccleſiæ ſuæ principatu donaturũ, inſtituiſſe eum aliquando principem fateamur, neceſſe eſt. De ſeipſo nanque dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. & alibi: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non trãſibunt. Apocalypſis quoque cap. 9. Ioanni viſum eſt cælum apertum: Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax. Si ergo Chriſtus verax, immò ipſa veritas eſt, quis auſit dicere ipſum quippiã eſſe pollicitum, quod optimo nõ præſtiterit exitu? Audiamus D. Hieronymũ hæc Domini verba interpretantẽ: Et ego, inquit, dico tibi, ſermone non caſſo, & nullum habente opus: ſed dico tibi, quia meum dixiſſe, feciſſe eſt. Qui ergo ſe Chriſtiani populi Petrum facturũ caput & principem pollicitus eſt, is tali eum principatus munere impartiuit. Adde quòd ex ſanctorũ patrũ numero plures ſunt, qui hiſce domini verbis non ſolùm fuiſſe promiſſum Petro Eccleſiæ principatum volũt, verùm & datum. Sacræ enim

Ioan. 14.
Lucæ 21.

ſcripturæ vſus habet, vt vno nonnunquã tempore vtatur ꝓ alio. Nam quòd præterito ob euẽtus certitudinem, pro futuro vtatur, in Iſaia, vbi de Chriſti natiuitate habetur ſermo, clariſsimè cõſtat. Nimirum igitur ſi quod à Matthæo tanquam de futuro dictum narratur, propterea quòd hunc ſuum principatũ non niſi poſt Chriſti reſurrectionem Petrus exequuturus eſſet, de pręſenti ſit intelligendũ. Quapropter ea verba D. Chryſoſtomus exponens, ait: Filius quod patris eſt & ipſius, poteſtatẽ Petro vniuerſaliter conceſsit vbique terrarum: & homini mortali omnium quæ in cælo ſunt, dedit authoritatem, dando ei claues, ad hoc vt Eccleſiã vbique amplificet. Cæterùm, calumniã aliam afferunt Lutherani: Si enim, inquiunt, in his Chriſti verbis de primatu Eccleſiæ mentio habita eſt: cur in ſolum Petrum ſunt retorquẽda? non enim in hunc ſolum, ſed in omnes Chriſti diſcipulos referenda ſunt. Quippe quòd vt pro omnibus reſponſum à Petro eſt: Tu es Chriſtus filius Dei viui (Quam ſanè ob cauſam à D. Chriſoſtomo Os Apoſtolorũ dictus eſt)

ita & ad ipsum, tanquam discipulorum omnium personam referētem, sit Christi responsio reflectenda. Quod quidem vel ex hoc possumus coniectare, quòd q̃ eo in loco ad solum Petrum dicta esse videntur, in eodem Matth. Euangelio cap. 18. ad omnes Apostolos leguntur dicta. Dicit enim Christus ipse discipulis: Amē dico vobis, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terrá, erunt soluta & in cælo. Ioannis quoque capite penul. omnibus dicitur à Christo discipulis: Accipite spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittūtur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Si ergo ea quæ soli Petro dicta esse contendis, eadē omnibus discipulis dicta sunt: clarum apertúmque admodum est non soli Petro claues cælorum esse collatas, sed etiá omnibus Apostolis, imò & vniuersali ecclesiæ. Cuius iudicium, si is qui in nos peccauit non admiserit correctorem, Domini sententia est requirēdum. Si enim, inquit, non audierit eos, dic Ecclesiæ. Vis autem (inquiūt) rem hanc luce clarius intueri? Ipsa Domini verba

diligentius cõſiderato. Nam cùm dixiſſet, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: continuò ſubintulit, Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eã. An nõ aduerſus fidẽ atq; Eccleſiã Petri, inferi portæ præualuerũt? Nõ ſolùm eñ in fide Petrus vacillauit, verũetiam & ad vnius ancillulæ vocẽ Christum pertinaciter conſtãtiſsiméque negauit. Quid prætereà? Poſtquam Petrum de reuelatione ſibi à cæleſti patre demiſſa commendauit, illi Dñs dixit: Vade (inquit) poſt me Satanas, ſcãdalũ es mihi: quia nõ ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. Si de inſipientia reprehenditur Petrus, Satanáſque appellatur à Christo, quo pacto intelligi poteſt illum ſolũ clauigerum cæli eſſe conſtitutum: propterea quòd cælitus de Christi diuinitate fuerit inſtructus? Non ergo Petro, vt Petrus erat: ſed vt Eccleſiæ typum ſpeciémque gerebat, in qua neque macula eſt, neque ruga, ipſa Domini verba fuiſſe dicta intelligamus oportet. Vnde & D. Auguſt. ſuper pſalmo 108. in hanc ſententiã ſcribens, quædam eſſe ait quæ ad apoſtolum Petrum propriè pertinere vidẽtur. Nec

tamen illustrem habent intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiã, cuius noscitur in figura gessisse personam, propter primatũ quem in discipulis habuit. sicut est, Tibi dabo claues regni cælorũ. & si qua huiusmodi. Sed si hasce argumẽtationes, quas Lutherani solidas cõstantésq; putant, diligẽter animaduertemus, nenias nos, fabulas, ineptiásq; esse facilè demonstrabimus. Quòd enim primùm blacterant, ea Domini verba in omnes Apostolos esse contorquẽda, propterea quòd pro omnibus responderit Petrus, succi parum habet, & debili innititur fundamento. Quæsierim enim ex eis quomodo pro omnibus respondisse Petrum intelligant: Aut enim causâ hac anteà inter Apostolos pensitatâ atq; discussâ, Petro vt pro omnibus responderet, demandarunt: aut ipse pro omnibus respondendi onus sua voluntate desumpsit. Vnum nulla possumus ratione confirmare: quando neque ex Euangelij verbis, neque ex serie narrationis coniici queat, aut inter se Apostolos de quæstione hac disputasse, aut aliquã Petro responsionis materiam delegasse. Alterũ

fortasse cum diuo Hieronymo concedi potest, quòd (inquam) Petrus, qui Christum ardentiùs cæteris diligebat, interrogatis omnibus, quem esse filium hominis, existimarent, nullo respondendi curã delegante, ipse pro omnibus respondendi vicem præripuerit: vtpote quòd sibi persuaderet, alios discipulos ab ea sententia, quam sibi cælestis pater inspirauerat, haudquaquam desciturος. Nam & antehac cùm discipulos Dominus interrogasset, Nũquid & vos vultis abire? *Ioan.6.* respondit pro omnibus Petrus: Et ad quẽ sumus ituri? verbum vitæ habes, & dimittimus te? Diuo tamen Hilario non placet Petrũ pro aliis respondisse. Quod si verum est, tollitur Lutheranorũ fundamentum, Petrum scilicet omnium vice respõdisse. At illis D. Hieronymi etiã interpretationem condonemus, concedamúsque Petrum tunc Apostolorum omnium induisse personam: Nunquid necesse est, vt ea Christi verba aut ad omnes Apostolos, aut certè ad vniuersalẽ Ecclesiam contorqueantur? Cur non ad solum Petrum, qui cæteris fortasse quid responsuri essent hærentibus, pro omni-

bus respondit? Quanquam enim omnium personam, quos eius comprobaturos sententiam putabat, induerat: non ad omnes tamen, sed ad ipsum solum, qui cæteris feruentior erat, fuerátque diuino lumine illustratus, Christus sermonē conuertit. Quamobrem ipsum & suo & patris compellat nomine, inquiens: Beatus es Simon Bariona. Petri quoque eum nomine, adiecto prænomine, vocat: Tu es Petrus (inquiens) Tū ad Petri alludens nomen, subiungit: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam. Non, inquam, super quancunque petram, sed super hanc, id est super te Petrum, qui constans stabilísque in fide manes. Cauendum tamen est, ne huiusce petræ nomine Christum ipsum intelligamus: vt sensus sit, super meipsum, qui petra sum, meam Ecclesiam ædificabo. Nam sensus hic neque proposito deseruiret, neque textui quadrat: neque etiam ædificabo dicendum fuisset, sed ædifico: quandò suam semper Ecclesiam Christus, mortalem vitam viuens, ædificaret. Quòd si pertinaciùs vniuersali Ecclesiæ clauium authoritatem fuisse datam cōtenderint:

id ego etiam fortasse non inficiabor:sed sic Ecclesiæ datam intelligam,vt primũ Petro conueniat, deinde per ipsum impartiatur Ecclesiæ. quippe quòd Petrus illud fundamentum sit,super quod,post Christum, Christiana fundatur Ecclesia. (ex fundaméto enim vires augmentúmque ædificium capit, non ex ædificio fundamẽtum). Quod præterea obiiciunt, vt Petro, ita omnibus Apostolis dixisse Christum, Quodcunque solueritis super terram, me loco non mouet. Non negauerim enim Apostolis omnibus ligandi atque soluendi concessam facultatem fuisse. Hoc enim ipsa Euangelij verba liquidò ostendunt. Sed addiderim huic non repugnare, quòd in his quæ sæpenumero citauimus verbis, aut datus sit Petro primatus, aut certè promissus. Apostolorum enim nemini, excepto Petro, vsquàm dictum esse reperimus, Super te, aut super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. nemini in singulari numero, Quodcunque solueris, & nemini, Tibi dabo claues regni cælorum. Hæc autem omnia coram Apostolorum collegio in sin-

gulari numero dicta sunt Petro, vt sanè ostenderetur illi ligandi atque soluendi potestatem, tanquã Catholicæ Ecclesiæ capiti, fuisse concessam: Cæteros verò discipulos Christi in solicitudinis partẽ assumendos fore. Quòd si rursus institerint, non solum Petrum fuisse à domino fundamentum Ecclesiæ constitutum, verũ etiam reliquos Apostolos, Apoc. 21. dicitur, q' murus ciuitatis habebat fundamenta 12. & in ipsis erant nomina duodecim Apostolorũ. Ad Ephe. quoque 2. habetur: Superædificati super fundamẽtũ Apostolorũ. Respõdetur nusquã Apostolorum aliquẽ (Petrũ semper excipio) fuisse à Christo, Ecclesiæ fundamentum nuncupatum. Sed hoc illos nomine Ioannes Paulúsque dignati sunt: propterea quòd tanquam Petri coadiutores, doctrina, moribus, miraculis, vniuersum fermè terrarum orbem ad Christi fidem conuocarint. Quòd deinde ad huius principatus euersionem afferunt, Petri (vt personam agebat propriam) fuisse quassatam fidem, atque concisam: quando tamen aduersus Ecclesiã, quæ super Petrum fundanda erat, portas inferi non præua-

prævalituras Chriſtus ipſe prædixerit, multis reſtingui modis poteſt. Primùm enim dixerim, quòd quanquam in fidei confeſsione non perſtitit, imò vnius fœminæ voce exterritus, Chriſtum negauit: Nunquã tamen ab ea interiori, quàm animo cogitationéque conceperat, fide deſciuit. Nam cùm aliud ſit interior fides, aliúdque fidei exterior confeſsio, (Corde enim, ait Apoſtolus, creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem) cum interioris fidei integritate exterior fidei negatio copulari coniungíque poteſt. Non igitur aduerſus fidem Petri, aut aduerſus Eccleſiã ſuper ipſum fundatam, ſed aduerſus apertam fidei confeſsionem, portæ inferi potuerunt. Alio etiam modo potero reſpõdere, non eſſe, ſcilicet, illorum verborum ſenſum, quòd nunquam eſſet Petrus à fide caſurus. Nam prædictum illi à Domino tempore paſsionis fuit, quòd ter ipſum negaturus eſſet. Sed quod nunquam poſteaquam ſuper ipſum fundata eſſet Eccleſia, à Chriſtiana fide decideret. Id quod ſanè verum fuiſſe conſtat. Nam etſi antequam ſuper ipſum Chriſtiana moles

*Roma.*10.

constituta esset, aberrauit à fide: post ipsam tamẽ super ipsum Ecclesiæ constructionẽ. Post (inquã) Dñi Resurrectionẽ constãtis semper fuisse fidei in confesso est. Respõderi & tertio modo potest, Petrum ad vilis quidem fœminæ vocem negasse Christum, nullo tamen pacto de ipsius ruina portas inferi reportasse victoriam. Quemadmodũ enim si quispiam cum hoste congressus, ad terram ipsum sæpe deiiciat, præualuisse non dicitur, si hostis robustior surgat, suúmque prosternat inimicũ: Ita quanuis Petrum portæ inferi ter à fidei confessione deiecerint, quia tamẽ alienus à fide nõ perstitit, sed egressus foras fleuit amarè, mirificéque deinceps de suo hoste triumphauit: aduersus eum portæ inferi non præualuerunt, tametsi paruo temporis interstitio deturbarũt à fide. Ecce quàm leuis, quàm frigida, quàm nullius momenti cõtra definitionem nostrã affertur instantia. Sed neque illud Saluatoris verbum, Vade retrò post me Sathana, quicquam nobis molestiæ affert. Ecquid? num legimus in scripturis Prophetas ipsos, quibus diuina cælitus præmonstra-

bantur mysteria, nonnulla quandoque latuisse? Dicit enim Heliseus, de Sunamites mulieris infortunio loquens, quarto Regnorum libro: Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & Cap. 4.
non indicauit mihi. Samuel quoque (vt primo Regnorum libro, cap. 12. narratur) pro Dauide inungere regem voluit Helias. Quid ergo mirum, si Petrus de Christi diuinitate instructus cælesti numine, eundem cruci suffigendum esse non nouerat? Quoniam itaque diabolica fraude deceptus, Christi maximi passioni impedimento esse volebat, meritò tanquam Sathanas à Christo reiicitur. Vade enim (inquit) retrò post me: id est, me in passionis desiderio sequere, atque veluti magistrum discipulus imitare. D. Augustini demum nō obest authoritas. Nam cùm duplicem sibi sensum sacra scriptura vendicet, literalem, & spiritualem: quæ de Petro dicuntur, illustri carere intellectu putat Diuus Augustinus. Non quòd ad alium quàm ad Petrum, eorum verborum literalem sensum referendum existimet: sed quòd literalis ille sensus omnē scripturæ intellectum

non explicet, oporteátque & spiritualem adiicere, si plenam omníque ex parte intelligentiã habere cupiamus. Quare ea primùm de Petri persona sunt intelligenda: tum de Ecclesia spirituali quodam sensu exponenda, putat Diuus Augustinus. Propterea quòd Petrus (cuius caput est) typum figurámque gerat. Neque hoc sanè à sacrarum literarum explanatione alienum esse putandũ est.
Gen. 37. Nam & Ioseph cùm à fratribus vẽditus in scriptura narratur, Christi quidem à Discipulis venditi figurá agit: ad historiæ tamẽ integritatẽ spectat, vt & de Ioseph persona venditio intelligatur. Secundus Euangelij locus, vbi de primatu Petri sermo incidit, est Ioannis vltimo: Cùm enim Christus iam tertiò post resurrectionem suis Discipulis visus esset, principatum Ecclesiæ Petro confirmaturus: hisce eum verbis alloquitur: Simon Ioãnis, diligis me plus his? Dixit ei: Etiam Domine: Tu scis quia amo te. dicit ei: Pasce agnos meos. Dixit ei iterũ: Simon Ioannis, diligis me? At ille, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dixit ei iterũ: Pasce agnos meos. Dixit ei tertiò: Simõ

Ioãnis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me. & dixit ei, Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. dixit ei: Pasce oues meas. Quis hæc Domini verba (nisi oculis mentéque captus) ad Petri personam dicta esse non videat? Nónne eum & proprio nomine, & parentis expresſione compellat: déque sua in se beneuolentia charitatéque interrogat? Quo enim modo cuiuspiam personam melius clariúsque possumus explicare, quàm sub proprium parentísque nomẽ? Adde quòd dum an se præ aliis diligat Christus interrogat, ipsum à cæteris Apostolis, tanquam ardentiorem sui amatorem secernit. Cùm itaque suas oues suósque agnos Petro depascẽdos commiserit, apertè constat illi Christianæ Ecclesiæ curam principatúmque contulisse. Quid enim per oues atque per agnos Christi, nisi Christiani populi multitudo intelligi potest? Quæ nõ corporali quidem cibo, sed spirituali doctrina imbuenda Petro commendatur. Os erat Apostolorum & princeps. Propterea & Paulus præter alios eum visurus ascendit simul, vt ei ostenderet iam

ſibi fiduciam habendam. Tanquã enim negationis obliuiſceretur, fratrum ei curam committit: neque negationis meminit, neque exprobrat. Tantùm dicit, ſi amas me, fratrũ curam ſuſcipias. Et quomodo dilectionem in omnibus oſtendiſti, & qua delector, nunc oſtende: & animam quam pro me te poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade. Expreſsiùs etiam dum hæc verba interpretatur, in hanc loquitur ſententiam: Paſce enim, inquit, oues meas: Id eſt loco mei præpoſitus, & caput eſto fratrum: vt ipſi te in loco mei aſſumentes, vbique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent & confirment. Cæterùm iſtud diligenter animaduertendum nobis eſt, non ſolos agnos, non ſolas oues: ſed & agnos, & oues fuiſſe Petro à Domino commendatas. Nam non ſolùm grandiores in fide (qui ouium nomine ſignificantur) ſed & infirmiores, qui intelligũtur per agnos, doctrina moribúſque ac innocentibus actis, Petrus in fide confirmet atque corroboret neceſſe eſt. Nõ etiam myſterio vacat quòd agnos ſemel tantùm (ſi tex-

tui Græco adhibenda fides est) bis autem oues, Petri curæ supponit. Nam hi qui in Christiano grege iam coaluerũt, alióſque in fide instruere possunt, diligentiori pastoris cura egent, quàm recentiores atque neophyti, quibus erudiendis minori cura tenentur qui præsunt. Quemadmodum enim pueri, quibus prima literarum rudimenta sunt tradenda, pauco expediuntur negotio: qui autem adoleuerunt in literis, maiorem exactiorémque magistrorũ diligentiam exposcunt: Ita qui in nouam Christi militiam iurãt, minoris curæ sunt (tametsi nullo sunt tẽpore relinquẽdi). Qui autẽ in hac militia iã obduruerũt, diligentiùs, ne pereant, sunt tractandi. Nam & Apostolus tenerioribus scribẽs, inquit: Tanquam paruulis in Christo, lac potum dedi vobis, nõ escam. Quòd si bis agnos, semel autem oues (vt in nonnullis latinis codicibus legitur) recipiamus: hac ratione factum interpretari possumus, vt non exactioris, sed frequentioris curæ ordo designetur. Nam omnes quidem, qui Christi baptismate diluti sunt, Petri curę demandantur: recentiores tamẽ

paruulíq; in fide, quò coalescere queāt, sunt frequentiùs spirituali cibo Christianáque doctrina recreandi. At nenias quasdam anilésque fabellas afferūt Lutherani, inquientes nō totius Christiani populi curā Petro Christum Maximum tradidisse, sed aliquorum fortasse. Non enim, inquiunt, dictum est Petro, Pasce omnes oues meas: sed absolutè & absq; vllo distributionis signo, Pasce oues meas. quòd si voluisset Christus Iesus Petro totius Ecclesiæ curam demandare, dixisset profectò: Pasce omnes oues meas. Sicuti cùm Apostolos ad prædicandum in orbem terrarū misit, Docete (inquit) omnes gentes. & alibi: Prædicate Euangeliū omni creaturæ. Quapropter Apostolus Paulus ad Galat. 2. capi. scribens, Petrum circuncisionis, se verò Gentium Apostolum vocat. At qua lege ad hanc vniuersalem omnium curam explicandam dicendum putant Lutherani, Pasce omnes oues meas? Ecquid, nō sufficiebat, Pasce oues meas? An si moriturus quispiā dixerit amico, Commendo tibi filios meos, quosdam tantummodo, non omnes filios amico cōmendatos esse cupit?

Satis omnes expreſsit, qui ſuos filios abſque vllo diſcrimine commendauit. Sic cùm ſuas oues Chriſtus abſque vlla differentiæ nota, Petri curæ commiſit, omnes ſe illius fidei commendare manifeſtiſsimè declarauit. Quòd ſi non omnes, ſed aliquas duntaxat ſuarum ouiũ ſub Petri imperio collocaſſet: quænam eſſent illæ fuiſſet explicandum. Quòd autem Paulus ſe Gentium, Petrum vero circũciſionis, id eſt Iudæorũ, Apoſtolum vocat: id quidem arguit Petrum Iudæorum, Paulum verò Gentium ſaluti diligentiùs peculiariúſque incubuiſſe operam: non tollit tamen quin Petrus in Chriſtianos omnes authoritatẽ nactus ſit ac principatum. habuit enim & aliquã curam Gentium Petrus, & aliquam Paulus Iudæorũ. Nam Actuum 10. Petrum ad Cornelium centurionem Cæſaream conceſsiſſe narratur. De Paulo verò, capite 10. quòd ingreſſus in ſinagogas, prędicabat Ieſum, quoniã hic eſt filius Dei. Non ergo Iudæorum tantummodo Petrus, Paulus verò Gentium procurabat ſalutem: ſed vterque tam Gentiũ quàm Iudæorum Apoſtolus erat. Tametſi vni

maior de Gentibus ſolicitudo erat, alteri verò de Iudæis. Quid autem Petri amplisſimæ poteſtati peculiaris hæc Iudæorũ cura poteſt derogare? quid? nónne & reges quibus plura ſunt regna, vnũ ſibi quandoque regnum deligunt, cuius gubernationi præeſſe operam nauent: reliqua verò familiaribus ſuis impertiunt gubernanda? Cæterùm, nouum caput hydra profert Lutherana. Si enim, inquit, Petrus cùm ouium paſtor & princeps tua opinione eſſet, peculiarem quãdam ſibi Iudaici curã populi deſumpſit. Paulo verò aliíſque Apoſtolis aliarum nationum adminiſtrationem permiſit, ſequi profectò videtur, vt reliqui Apoſtoli, Petri authoritate Eccleſiam catholicam vt eis in ſortem contigit gubernauit. Hoc autem ex nullo ſacræ ſcripturæ loco poſſumus cõfirmare. Quinimo & alios Apoſtolos & Paulum inſtituiſſe Epiſcopos, nulla de Petri authoritate habita mentione, narratur. huic rei Anacleti verba, quæ diſt. 21. cap. in nouo. habentur, fauore videntur eſſe. Cæteri enim, inquit, Apoſtoli cum beato Petro pari conſortio præditi, & honorem &

poteſtatem acceperunt. In eandẽ quoq; ſententiam ſcribit Diuus Cyprianus, habetúrque in can. loquitur Dominus. 24. quæſt. 1. Si igitur parem cum Petro cæteri Apoſtoli nacti ſunt poteſtatem, non eſt Petrus eorum princeps paſtórque conſtitutus. At iſtud imprimis conſiderandum eſt, particulari quadam Chriſti optimi prouidentia, Apoſtolis omnibus contigiſſe, vt in conſtituendis Epiſcopis Petri authoritate minimè indigerent. Nam ab ipſo ſeruatore noſtro Chriſto ad prædicandum miſſi, ab ipſo hanc poteſtatem nullo mediante receperunt. Vnde ipſe Ioan. 10. cap. ait: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Qua re niſi à Chriſto præuenta Petri fuiſſet authoritas, abſque eius authoritate conſtituere Epiſcopos nequiuiſſent. Fuerunt enim Petro cum cęteris Apoſtolis pleraque cõmunia: vt prædicare, vt docere, vt baptizare, iuxta illud Matthæi vltimo, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Ipſi tamen ſoli ſupremus in Chriſtiana Repu.

obtigit principatus, in omnésque Christi oues (de quorum numero Apostoli extiterunt) est potestas impertita. Obstrepunt rursus Lutherani, soli Petro vt Christi oues pascat dictum sit: nunquid vt summū in Christianos omnes imperium gereret est cōmissum? Neque enim pascere, principem dominúmq; esse significat. Sed nesciunt Lutherani (aut se nescire dissimulant) quod pascere, propria quidē huiusce verbi significatione, principem esse non dicit. Veruntamen cui pascēdi gregis prima demādatur cura, ei quoque super oues committitur principatus. Nam quū metaphora quadam Christianus populus ouium nomine nuncupetur, nimirum si & pascendi verbum metaphoricè capiatur. Quemadmodum enim pastor sic ouibus pabulum suppeditat, ministrátque, vt earum rector sit & gubernator: Ita & pascere Christi oues iubetur Petrus, & illi earum cura, regimen, gubernatio, non vt mercennario, sed vt vero primarióque pastori demandatur. Hoc autem (si verbi Græci vim naturámque spectemus) paruo potest negotio expediri. Dupli-


cem nanque Græci codices in ipsis verbis dictionem habent, scilicet βόσκε & ποίμαινε: quarum vtrique idem verbum, Pasce, Latinus reddidit interpres. Quamquam non paruum inter eas est discrimen. βόσκειν enim non apud authores Græcos præbere cibum significat, ποιμαίνειν verò regere ac gubernare. Vnde & Homerus ab hoc verbo ποιμαίνω Agamemnona Græcorum imperatorem ποιμένα λαῶν, id est rectorem gubernatorémque populorum vocat. In quamplurimis quoque sacræ paginæ locis, vbi verbũ, rego, Latinus ponit interpres, Græci codices ποιμαίνω verbum habent. Prætereundum tamen non est, quòd eodem verbo βόσκε, tam ad agnos quàm ad oues, ad solas autem oues verbo ποίμαινε Græcum vtitur Euangelium. Intelligi enim datur tam paruulos quàm adultos in fide, verbi Domini pabulo pascendos à Petro esse atque nutriendos: adultos autem non tam Euangelica doctrina imbuendos, quàm gubernandos dirigendósque, vt aliorum saluti studeant: suáque bene & innocẽter acta vita cæteros in Christi amore illi-

ciant. Quid multis morer? si diligenter ea Apostolorum Acta, quæ Lucas perscripsit, consideremus: Petrum maiori semper omnibus in rebus authoritate ac reuerentia, tanquã omnium patrem & pastorem, inter omnes fuisse Apostolos inueniemus. Dices fortasse: Si omnium Apostolorum principem Petrus se gerebat; temerarius nimiũ fuit Paulus, qui eum reprehendit. Ad Galat. enim 2.cap.dicit: Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Quem sanè locum D. Hieronymus pertractãs, Petrum, inquit, Paulus reprehendere non auderet, nisi se non imparem sciret. Ad hæc, si omnibus Apostolis præerat, qua ratione cum Ioanne (vt Actuum 6. narratur) ab aliis est in Samariam destinatus? Superioris enim est alium ad sua negotia mittere, non inferioris. Sed attendas velim non idcirco Paulum in faciẽ Petro restitisse, quòd æqualis aut superioris existeret potestatis: sed quoniam si superior quidpiam quod magno accedat detrimento Ecclesię, commiserit (vti in Petro accidere videbatur) ab inferiori & admo

neri, & aliqua verborum moderatione reprehendi poteſt. Quòd verò Paulum fuiſſe Petro authoritate parem D. Hieronymus putat. (Id quod & Anacletus & Cyprianus, quos ſuperius citauimus) ſentire videntur, non eſt in iuriſdictionem referendum: ſed in Apoſtolatum, in fidei defenſionem, in ſacri ordinis poteſtatem. Erant quidam omnes in Apoſtolatu, in fidei defenſione, in ordine, à Chriſto pares inſtituti: ſed maior fuit Petro iuriſdictionis ratio cōdonata. Quòd poſtremò affertur fuiſſe Petrum cũ Ioanne à cæteris Apoſtolis in Samariam delegatum, refelli eadē reſponſione poteſt, qua & Arrij filium minorem patre prædicantis error à ſacris doctoribus eſt reſtinctus. Falſum nempe eſt mittentem omnem eo qui mittitur digniorem ſuperiorémque eſſe. Nam Magos, qui Iudæorum regem perquirebant, miſit in Bethleem Rex Herodes: illis tamē non erat ſuperior dignitate Herodes. Nonnunquam enim princeps à ſuis conſultoribus in bellum conſiliis adhortationibúſque armatur. Non ergo Petrum in Samariam reliqui miſerunt Apoſtoli, ꝙ

eo authoritate ſuperiores eſſent: ſed vt illò iret, conſilio & hortatione ſuaſerũt, arbitrati commodiorem ipſam fructuoſiorémque ad illa negotia fore: quippe qui & cæteris præſtantior haberetur, & ampliori miraculorũ gratia pręfulgeret.

Quòd Romanus Pontifex in Christiana Repub. Petri locũ teneat. CAP. V.



Etrum à Chriſto Op. Max. Catholicæ noſtræ Eccleſiæ fuiſſe Principem conſtitutum ſacris ex literis oſtẽdimus. Reſtat vt Romanum Pontificẽ verum Petri ſucceſſorem eſſe (Id quod hæreticorum plerique negant) demonſtremus. Quæſierim ergo primùm, num aliquem Chriſtus ſucceſſorẽ Petro conſtituerit, qui in Chriſtiana Eccleſia gubernanda eius locum dignitatémque ſeruaret. Hoc ſi negetur, Rempub. ab ipſo inſtitutam, ſuóque ſanguine conſecratam,

tam, quampluribus aliis ignobiliorem infeliciorémque fateamur oportet. Qui enim Respub. constituerunt, curarunt vt firmæ, vt stabiles, vt perpetuæ essent. Sic Romanã Romulus, sic Solon Athenienſem, sic Spartanam Lignogus condiderunt. At qui Christiana Respublica stabilis perpetuáque esse poterit, si ei quem Christus eius institutor, caput principémque constituit, nemo subrogetur? Quòd si non vt perpetua esset, sed vt Petri tantummodo duraret ætatem, condita fuit: infelix admodũ miseráque est constituta: vtpote quæ breuissimo tempore esset duratura. Dices fortasse: Quomodo quáue ratione successorem Petro constituemus, quoniam nullibi à Christo de hac successione mentio sit habita? Sed quãquam nusquam expressè legimus quis Petro in Ecclesiæ principatu sufficiendus esset: ex hoc tamen intelligi potest Christum Petro successorem instituere voluisse, quòd perpetuã Rem publicam condidit, in qua vnum caput, vnúmque principem esse voluit. Cæterùm, si quispiã est cui debeat Petri principatus demandari, cui alij quàm Ro-

mano Pontifici, honeſtiùs,iuſtiùs debet obtingere? Et ſi enim in ipſo primo Eccleſiæ cœtu ita Petrus vniuerſalis Eccleſiæ præfecturã geſsit, vt nullam ſibi propriã ſedem aſciuerit. Deinde aliquot annos ſederit Antiochiæ. Vrbem tamen Romã, diuino actus numine, pro firma conſtantíque ſede delegit, in qua per plures prę̨ſideret annos, extremúmque pro Chriſto diem ageret: vt eam profectò ſuo ſanguine ſedem conſecraret, in qua ſibi Eccleſia paſtor ſufficiendus eſſet. Quanquam ergo nihil in ſacris literis de Romano Pontifice Petro ſubrogando eſt ſancitum: ipſe tamen Petrus Romanam ſibi aſciuit Eccleſiã, in qua diutius præſideret, vltimámque ſui præſulatus ætatem ageret, aliis Eccleſiis Apoſtolis Chriſtíque diſcipulis diſpertitis. Quo ſanè effectum eſt, vt is qui in Romana ſede, Petro ſuccedit, etiam in principatu Eccleſiæ Patrum conſenſu ſubrogetur. Dum enim Romano Pontifici præſtantur ſuffragia, Catholicæ Eccleſiæ paſtori præſtantur. Nam eundem & in Romanum Pontificem, & in vniuerſalem Eccleſię paſtorẽ debere deligi ab omnibus,

absque controuersia receptum fuit, tametsi successu temporis ab hac Patrum consensione temerè aliqui desciuerunt. Quem enim alium, excepto Romano Pontifice, successorem Petri, historici præscripserunt. Non enim Hierosolymitanum, non Antiochenum, non Constantinopolitanum, nõ denique aliorum Episcoporum quempiam, præter Romanum, pro vniuersali Ecclesia pastoré receptum esse legimus. Quanquam pro huiusmodi principatus gloria nonnullæ orientales Ecclesiæ quandoque pertinacissimé decertarunt. Quamobrem non à priscis tantùm Patribus, verumetiam ab ipsis Christi discipulis cautum esse crediderim; vt is in Christiana Repub. principatum teneret, verúsque Petri successor esset, qui Romanæ Ecclesiæ esset instituturus. Accedit & sacrosanctæ illius Nicenæ Synodi mirifica authoritas, in qua sapientissimè decretum fuit, vt nullum absque Romani Pontificis licentia & authoritate posset Concilium celebrari: vtque ad ipsum, tanquã ad supremum omnium appellari posset. In Calcedonensi quoque Synodo, in qua

sexcenti & triginta Patres consederunt, Romanus Pontifex Leo tertius beatissimus est acclamatus, omniúmque causarum definitio in eius arbitrium cessit. Extat & Constantinopolitani Concilij tale dictum: Veneramur secundum scripturas & canonum definitiones, Sanctissimum antiquæ Romæ Episcopū, primū esse & maximum Episcoporum. Vnde & Maximus in ea quam scripsit ad Orientales epistola: Omnes, inquit, fines orbis quæ Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarū Catholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam Romanorum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiūt. Obiicient forsitan Lutherani, Cùm summus iste tuus Romanus Pontifex deligitur, à quo Ecclesiæ capit principatum: affértne secum ipse supremam potestatem, an recipit aliunde? Si secum affert, antequam eligeretur, omnium Christianorum pastor erat. Si accipit aliunde, à quo sanè, nisi ab ipsa vniuersali Ecclesia, quæ perpetuò manet, nūquàm-ve emoritur, potest accipere? Non itaque Ecclesiæ principatus debetur Ro-

mano Pontifici, quòd Petro in Romana sede succedat. Sed omnem quam habet potestatem, si verùm est quòd aliquẽ Ecclesiæ principatũ gerat, Christiani populi tam authoritate quàm consensione nanciscitur. Est igitur apud vniuersalem Ecclesiam summa authoritas, non apud Romanum Pontificem. At respondeant mihi Lutherani, Si ipso suo iure vrbem condat imperator, in eáque perpetuam successione quadam constituat monarchiam: hac tamen lege, vt sibi quem voluerunt ciues principẽ decernant: à quo principem hunc, nisi ab imperatore, reginis gubernationísque potestatẽ habere dicemus? Ita cùm Christiana Respub. sit à Christo Opt. Max. hoc ordine constituta, vt vnus in ea supremum principem agat: Cùm Romanus Pontifex Petri successor eligitur, nõ secũ suũ ipse defert principatũ: sed illum dum electorum consensu in Petri sede collocatur, à Christo nanciscitur, qui suam hac lege Rempub. condidit, vt in ea Petri successor cum summa potestate præsideret. Huiusce nostræ sententiæ Beatus Cyrillus, Alexandrinus Episcopus, esse vide-

tur, cùm ait: Vt mēbra maneamus in capite nostro Apostolico, throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quid quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus. Quoniam ipsius est solius reprehēdere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & ligare, loco illius qui ipsum ædificauit, & nulli alij, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit: cui omnes iure diuino caput inclinant, & primatus mundi tanquan ipsi Domino Iesu Christo obediunt. Vnde & Anacletus martyr, habetúrque distin.
22 Sacrosancta (inquit) Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & Saluatore nostro primatum obtinuit. Sicut beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Est itaque in hoc Romani Pontificis principatu quod in Christi Optimi legem, quod in Petri voluntatem, est quod in humanam institutionē referatur. In Christi nanque legem, amplissima potestas: in Petri voluntatem, Romani pontificis in sede successio: in humanã verò institu-

tionem, ipsius summi Pontificia dignitas est referenda. Sanctorum enim Patrum institutione sancitũ est, vt ille ipse Pontificem Romanum agat, qui Cardinaliũ suffragiis fuerit declaratus. Agedum: Rursus obstrepunt Lutherani, Receptũ sit aliquem in Christiana Repub. Petri successorem debere constitui, eúmque Romanum Pontificem esse: Quî negare ausis, eum qui sit Petro in imperij potestate suffectus, oportere cæteris charitate præstare? Neque enim suarum illi ouium curã, Christus voluit demandare, nisi ab eo cõfessione singularis dilectionis expressa. Quid prætere a Petro committitur, nónne vt Christi oues pascat? Qui ergo non amauerit Christum, & feruentiùs quidem cæteris: quíque eius oues doctrina & exemplo non pauerit, Petri legitimus successor esse non potest. At nunquid nũ sæpenumero in Romana sede, cõmuni Patrum consensu Pontifex collocatur, qui neque Christũ optimum diligat, neque Chistianum populum fidei doctrina pascere potis sit: vtpote qui & perditam vitam viuat, & omnis doctrinæ omnísque peritiæ sit

expers. Non sunt igitur omnes Romani pontifices Petri absque discrimine imperio successores. At si diligenti cura rem hãc consideremus, malè principatus naturam examinant Lutherani. Est enim in principatu initium, est gubernationis ratio, est vsus potestatis. Initium quandoqne bonum, quandoque malum inuenitur. Si enim recto quispiam ordine pricipatum ineat, bonum est initium: Si verò per deuia, malum. Ratio formáque principatus, qui sanè in quodam gubernantis, eiusque qui paret est ordine constituta, semper suapte natura bona est. Potestatis vsus, si ad subditorum commodũ referatur, laudẽdus apprimè est: at si ad principis tantummodo vtilitatem prospectet, vituperio dignus. Si igitur Romanorum pontifex iustis Patrum suffragijs fuerit declaratus, legitimum is pontificem agit: estque verus ille Petri successor, cui Catholici omnes (nisi à Christiana fide desciuerit) obedire tenentur. Quòd si perditá execrandámque vitam viuat: Si charitatis in Christum atque in eius oues expers extiterit: dicendus quidem est malorum

morum Pontifex, tantóque indignus imperio: nihil tamen ob hanc causam de Pontificia imminuitur potestate: quando non aliunde, sed per ostium in ouile ouium penetrarit. Quamobrem & si eiusmodi pōtifex aliquo Christianæ Reipub. incommodo est ac detrimento, sibíque ædificat ad gehennam: nulla tamen sui iurisdictione priuatur, si electione legitima sanctam illam sedem sit adeptus. Hoc autem & in terreno inspicere possumus principatu. An non dicimus principis filium, si iusto matrimonio genitus sit, vt in paternis opibus, ita in paterno debere imperio succedere? Et tamen plerunque euenit, vt genitor omnibus virtutibus clarus sit, filius verò perditus sit, & sordidam vitam agat. Tempus me deficeret, si huiusce rei tam ex Gentilium libris, quàm ex sacris literis exempla concire vellem. Nihil ergo malè acta vita de Romani Pontificis detrahit potestate: Tametsi à veri Christianæ Ecclesiæ pastoris sanctitate abhorreat. Quamobrem suos Dominus Iesus discipulos admonens, ait: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ &

Pharisæi Quæ dixerint vobis, seruate & facite: secundum verò opera eorum nolite facere. Petrus quoque Apostolus nos in suis epistolis monet, vt non solùm bonis modestísque, sed etiam discolis Præpositis pareamus. Quod autem Seruator noster Christus à Petro, cui Christiani populi curam mandare decreuerat, amoris charitatísq; expresśione perquisiuit, hoc in causa fuisse putò, vt & doceret posteros tales populorũ curæ præficere, qui non suis, sed subditorum commodis studeant. Accedit quòd cùm eam Rempub. constituere vellet, quæ esset optima, par decénsque erat, vt is cui primi pastoris & nomen & potestatem dabat, non tantùm authoritate, sed virtutibus & moribus cæteris præstaret. De pascendi verò lege dicendum existimarim: sat summo Pontifici esse, si ineruditus ipse sit, nequeátque Christiano populo per se fidei doctrinam ministrare, vt aliorum in eo erudiendo diligenti vtatur opera. Nam & terreni principes in Rerumpu. administratione pluribus consultoribus pluribúsque ministris vtuntur. Si ergo quispiam Christia-

no baptiſmate inſignitus, Petri ſucceſſor, æqualíq; illi authoritate eſſe debeat, legitima inſtitutione legitimíſque ſuffragiis in Romana ſede collocatus ſit neceſſe eſt. Si verò ſuprema hac poteſtate pro eius dignitate vti voluerit, ſit Catholicis omnibus doctrina, prudentia, charitate præſtantior oportet Cæterùm præ omnibus caueat, ne mercennarius, ne tyrannus, ne ouium Chriſti diſsipator exiſtat. Eiuſmodi enim Paſtoribus Hieremiæ vaticinio Dominus ait: Væ paſtoribus, qui diſpergunt & dilacerant gregē paſcuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores qui paſcunt populum meum: Vos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos, & non viſitaſtis eos. Ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorū veſtrorū, ait Dominus. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eiecero eos illuc Et cōuertā eos ad rura ſua, & creſcent, & multiplicabūtur. Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos. Quòd ſi noſtræ huic ſententiæ obiecerit quiſpiam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, dum illi Romanam præpo- Hiere. 23.

nimus iniuriam irrogari, ꝑpterea quòd illa & ætate antiquior sit, & dignitate sublimior (nam Apostolorum omnium aliqua ex parte altrix extitit, eíque, vt ex priori ad Corinth. epistola, cap. 16. constat, ab aliis Ecclesiis subsidia mittebantur): Dicendum profectò est, nō ita nos principatum Romanæ Ecclesiæ concessisse, vt eam cæteris omnibus aliquo tēporis interuallo præcedere teneamus. Satis enim ex se constat Hierosolymitanam priori tempore fuisse constitutam: priúsque Hierosolymis sedisse Iacobum, quàm Petrum Romæ. Neque etiā eam, quòd Romana præcisè sit, si (inquam) à suo capite diuellatur, omnibus dignitate Ecclesiis anteponimus. Fortasse enim hac ratione pensata, omnibus est Hierosolymitana præstátior, quando vniuersæ Ecclesiæ aliæ suam ex ipsa duxerint originem. Sed quoniā, si pastorem ratio habeatur, Romana dignior est, excellentior, sublimior, Petro enim, qui supremū in Catholica Ecclesia obtinuit Principatum, Romanus Pontifex (vt ostēdimus) est successor. Vnde ad Damascum Papā diuus Hieronymus scribēs, habetúrque

24.quæst.1.can. Quoniam vetus oriens. Ego, inquit, nullum præmium, præter Christum, sequẽs Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consortio super illam petram Ecclesiam ædificatam scio. Quòd autem Hierosolimitanæ Ecclesiæ subsidia mittebantur, non dignitati eius, sed magnæ indigentiæ (cuius in Actis Apostolorum Lucas meminit) est adscribendum. Si postremò id quod in suo dialogo Ocham obiicit, adducatur, nusquam in sacra scriptura inueniri, quòd Romam Petrus accesserit: atque idcirco falsum esse quòd Romanus Pontifex Petro succedat: Respondendũ censeo, tot sanctorum Patrum testimoniis confirmatum hoc esse, vt noua probatione non egeat. Hoc enim D. Hieronymus super primo ad Romanos cap. In Ecclesiastica hystoria Eusebius, Bernardus in epistola ad Eugenium Papam, Ambrosius in Epistola ad Auxẽtium de basilicis tradendis, apertè testantur. Sed & falsum est in nullo sacræ scripturæ loco inueniri. Ipse enim Petrus in prioris epistolæ suæ cap. 5. ait. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Ma-

cus filus meus. vbi iuxta glossam venerabilis Bedæ, Babylonis nomine Romã ob idololatriæ cultũ intelligit. Idẽ quoque D. Hieronymus in libro de Viris illustribus tenet. Nam Petrus, ait, in prima Epistola sua sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, Salutat vos (inquit) quæ est in Babylone Ecclesia. Cùm igitur nullibi Petrũ cũ Marco fuisse in Babylone legatur, nomine Babylonis ipsam vrbem Romam, cùm ob magnitudinem, tum ob idololatriæ cultum, Petrum significare voluisse, à ratione alienum non est. Nam & Ioannes Apostolus in Apocalypsi, de Romana vrbe sub Babylonis nomine facit mentionem. Pleraque alia ad confirmationem Romani principatus afferre potuissem. At quoniam (vt à principio diximus) est res hæc à multis non minus diligenter quàm eruditè tractata, sat sit pauca hæc in medium attulisse.

Apoca. 14. 16. & 18.

Quomodo Christiana Ecclesia una sit. CAP. VI.



X iis quę superius à nobis sunt definita, Christianam Ecclesiam vnam esse non est difficile demonstrare: si tamē prius quid Christianæ Ecclesiæ nomine intelligatur explicauerimus. Igitur Ecclesia, vocabulum est Græcum. Cúmque plura apud authores Græcos habeat significata, Christianorum vsu cœtum tantummodo, cōgregationem, conuocationémque significat. Nam consueto apud Iudæos Sinagoges nomine, quo etiam cōgregatio significari solet reiecto, Ecclesiæ nomen Christiani sumpserunt in vsum: vt sicuti ritu religionéque à Iudæis abhorrent: ita & nomine multitudinis distinguantur. Quò fit, vt Christianæ Ecclesię nomine nihil aliud quàm hominum multitudinem ad Christum conuocatā intelligimus. Quare tā varia támque diuersa de his quæ ad Christi Ecclesiam pertinent opinio est, quàm vario modo à diuersis Christiani nomen est vsurpatum. Sunt enim quibus placeat eos solos qui ad æternam salutem sunt

Ecclesia quid sit.

Christiani nominis explicatio. electi, ad Christianam attinere Rempublicã: quippe quòd ij tantummodò Christi sanguine sint redempti, Dominicæque Crucis beneficium assequãtur. Aliis videtur latius esse Christiani nomen accipiendum: omnésque eos Christianos meritò dici posse, qui charitatis munere à Christo impertiti sunt. Ideóque eos omnes in Christianã Ecclesiam trahunt, qui communi quodã charitatis vinculo sunt in Christo deuincti. At communis sanctorum Patrum vsus habet, vt à fide Christi Christiani sint appellandi: vt ij omnes Christiani dicendi sint, qui fidem Christi tenent, eiúsque cultum & sacramenta venerantur. Quod cùm non ij duntaxat qui charitatis participes sunt, sed etiam plerique alij, qui à Christo vita moribúsque adsciscunt, Christi fidem cultúmque obseruant, ad Christianam Ecclesiam, ad eam (inquam) quam Militantem appellant: eos omnes, tam bonos quàm malos, spectare dicunt, qui Christi fidẽ tenent ac profitentur. Christianæ itaque Ecclesiæ nomine multitudinem tam bonorũ quàm malorum ad Christi fide commoratam significamus:

Ad Christianã Ecclesiã qui spectent.

tametsi

tametsi in vsum quoque venerit, vt & locus ipse, in quo ad sacra cõueniunt Christiani, Ecclesia nuncupetur. Est autẽ hæc Ecclesiæ Christianæ acceptio doctrinæ Christi admodũ consentanea. Nã Matthæi 13. Ecclesiã sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregãti, similem esse dicit. Quam sanè similitudinem D. Gregorius, in omelia pertractans, sancta, inquit, Ecclesia cõparatur sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quia nunc bonos & malos cõmuniter, quasi permixtos pisces, fidei sagena continet. Sed littus Ecclesiæ, id est finis, indicat sagena quid trahat. In eodem quoque capite, Agro, in quo bono semine sato inimicus homo superseminauit zizania: superiúsque cap. 3. areæ, in qua grano permiscentur paleæ comparauit. Quæ D. Augustinus de fide ad Petrum cap. 4. sic interpretatur: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, areã Dei esse Ecclesiam Catholicã: & intra eam vsque in finem seculi paleas contineri, hoc est bonis malos sacramentorũ cõmunione misceri. Mat. præterea 25. ca. Decẽ virginibus, ex qui-

bus quinque prudentes erant, & quinque fatuæ, simile regnũ cælorũ esse dicitur. Super quo loco idem D. Gregorius ait: Præsens Ecclesia regnum dicitur cælorũ. & quia ex vtroq; sexu multipliciter colligitur sancta Ecclesia, decem virginibus similis denũtiatur: In qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis sunt admixti, rectè virginibus prudentibus & fatuis similis perhibetur. Adde quod & D. Hieronymus aduersus Luciferianos, & in primo contra Iouinianum libro, Arcam Noe apud beatum Apostolum Petrum Ecclesiæ sanctæ typum gerere ait, propterea quòd vt in illa omniũ animalium genera morabantur: ita in Ecclesia iusti peccatoresque permixti cótinentur. Quòd si obieceris Christi Ecclesiam, iuxta Apostoli dictum, spõsam esse, quæ neque rugam habeat, neque maculã: hoc secundum D. Augustini sententiam in libro de Nuptiis & Coniugio, capite 3, non ad præsentis seculi statum, sed ad futuræ integritatis nitorem est referendũ. Apud Gregorium verò 3. Moralium libro, de præsenti quidem Ecclesia; sed quantum ad bonos & electos intelligi

potest. De hac ergo Christiana Ecclesia, in qua boni malíque absqué vllo discrimine permiscentur, quòd vna sit, ex his quæ superiùs sunt definita, possumus demonstrare. Sed illud prætereundum non est, quòd cùm multitudo omnis in quadam pluralitatis ratione sit constituta, vnitatis modum formámque habere nòn potest, nisi ad vnum aliquod referatur. Quandam enim congregatá hominum multitudinem, vnã esse dicimus ciuitatem, quòd aut eodem principe, aut eisdem legibus gubernentur omnes. Quòd si plurium populorum, aut diuersi principes, aut diuersæ leges diuersarum potius ciuitatum quàm vnius habent rationem. At si in vnum communem omnium regem plures populi referantur, vnusquisque tamen peculiarem suum habeat principẽ, & plures dici eæ multitudines possunt, & vna. Nam & si particulares earum Principes municipalésque leges inspirantur, plures sanè absque controuersia dici debent. Si verò vnum illum communem earum regem communémque quandã omnibus legem consideremus: iam vnius sibi multitudi-

nis vendicat rationē. Mediolanensi nanque dominium, Mantuanúmque, ex quo duos habent principes, diuersisque municipalibus legibus gubernantur, duo dici Principatus possunt. Sed ad communem Christiani nominis Imperatorem prospiciatur, non duorum omnino Principatum, sed partium vnius imperij nomen habent. Vt enim eorum principes sub Imperatore, tanquam partiales quidam duces, collocantur: ita vnius Imperij ea dominia partes quædā sunt, quòd suis ipse legibus Imperator moderatur. Cùm igitur plures in Christiano populo sint Antistites constituti, quibus diuersorum populorum incūbit cura atque solicitudo: sitque vnus omnium Christianorum communis Pater: Si particulares tantummodo populorū Episcopos spectemus, plures esse Christianorū Ecclesias non diffitebimur. Et si in communem omnium Patrem atque Pastorem oculos intenderimus, esse vnam Catholicam, hoc est vniuersalem Ecclesiam, quæ ex pluribus partialibus Ecclesiis sit constituta, fatebimur: quando videlicet vnus sit communis Christiani po-

puli moderator, cuius legibus & institutis Christiana Respublica nostra gubernatur. Est enim supremus Ecclesiæ pastor Christus ipse Iesus, qui ait: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Apostolus quoq; Paulus de ipso inquit, quòd Deus dedit ipsum caput super omnẽ Ecclesiá. Post Christũ primus Ecclesiæ Catholicæ pastor ac rector Petr⁹ est, cui dicitur: Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Hanc vnitatis Ecclesiæ rationẽ B. Cyprianus illud Matthei decimotertio, Tu es Petrus, pertractans, habetúrque 24. quest. 1. c. loquitur. Super vnum, inquit, ædificat Ecclesiam. Et quanuis omnibus Apostolis post resurrectionẽ parem potestatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientẽ sua authoritate disposuit. Inferiùs quoque subiungit: Exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Alteram vnitatis Ecclesiæ D. Hieronymus ad Euand. seu Eugenium Episcopum: habetúrque dist. 93. c. legimus. inducit, fidei scil. vnitatem, in qua parti-

Ioan. 10.
Ephe. 1.
Luc. 22.

ales omnes Ecclesias communicare nemini dubium est, quando Christiani omnes in Christum credãt: eadémque de ipso diuino illustrali lumine teneant. Nec enim altera (inquit D. Hieronymus) Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriés, & India, & omnes barbaræ nationes (intellige quæ in Christi militiam dederũt nomen) vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam vnitatis & veritatis. Apostolus quoque primæ ad Corinth. epist. capi. 1. Idipsum, inquit, dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Est & tertia ratio vnitatis eiusmodi sacramentorũ vnitas, quibus vniuersus Christianorum populus insignitur. Vno enim baptismate, quod Sacramentorum primum est, omnes in Christo regeneramur, eisdémque Sacramentis omnes vtimur. Est & quarta vnitatis ratio, expectati à nobis finis vnitas, ipse scilicet Deus Opti. Maxi. ad cuius sempiternam fruitionem intendunt animum Christiani. Hanc autem vnitatem Dominus significare sub illam parabolam voluit, in qua

Sacramentorum vnitas.

Matth. 20.

omnes qui in culturam vineæ missi fuerant, singulos accepisse denarios enarrauit. Tangit & ipsam super psal. 85. Augustinus, sic inquiens: Multæ gentes, & vna gens. Quare vna gens? Quia vna expectatio. Postremò, quur non vna gẽs, si vna patria Hierusalem est? Quid plura? Hasce omnes vnitatis Ecclesiæ rationes ad Ephesios capit. 4. diuus Paulus Apostolus complectens, ait: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus De⁹ & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Quãobrem & cantic. 4. capi. de Ecclesia dicitur: Vna est columba mea: Vna est perfecta mea. Istud autem consideratione dignum est, quòd non modò nostra hæc præsens Ecclesia in Christianorum finibus constituta vna est: verumetiam & cũ antiquorum Patrum ac Prophetarum Ecclesia vnitatem habet. Illorum enim fides eadem erat, quæ & nostra. Nam vt nos in Christi fide saluamur: ita in Christi futuri fide antiqui illi Patres saluabãtur. Tametsi alii ipsis sacris suam protestantur fidem, aliis nos nostram declaramus. Quapropter Acto. 4. dicitur, de

Christo: Neque enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quòd si obieceris antiquos illos Patres, quanquam sanctissimi essent, Christíque futuri profiterétur fidem, ad nostram nullo pacto attinere Ecclesiam posse, propterea quod Christi baptismate diluti non essent. Hoc enim solo (vt August. in epist. ad Bonifacium, & in libr de Baptis. paruulo. placet, habetúrque de Consecra. distinct. 4. cano. ad hoc.) incorporatur quis Christo, eiúsque efficitur membrum. Duplicem sciat vnionis ad Christum modum formámque esse. Sunt enim qui Christo merito tantummodo animóque iungantur: vt iis euenit, qui dum instituuntur in fide, antequam baptismate regenerentur in Christo, cum solo huiusce sacraméti desiderio emoriuntur. Nam de Valentino quodam qui cathecumenus obiit, inquit Ambrosius: quem regenerationis iram amisi: veruntamen ille gratiam quã proposuit, non amisit. Sunt & qui numero quadámque Christiani nominis expressione Christi membra se gerant: ij, scilicet, qui Christianis sacris ornati, Chri-

ſtiano nomine nuncupantur. Antiqui ergo Patres, ſicut Abraham, ſicut Iſaac, ſicut Iacob, ſicut Dauid, quum Chriſtum humanã carnem pro noſtra ſalute ſumpturum crederent, occulta quædam atque latētia Chriſti membra meritò quidem erant & animo. At quoniã extrinſecũ inſigne Chriſti, baptiſma (inquam) non gerebant, manifeſtis publicíſque Chriſti membris, de quibus loquitur B. Auguſt. non enumerantur: ad Chriſti tamen ſpectant Eccleſiam: propterea quòd interiori Chriſtianorum ſigno, fide (inquam) noſtra, eſſent inſtructi.

Quòd leges à ſummo Pontifice atque à Cōcilijs editæ, Chriſtianæ non derogant libertati.

CAP. VIII.



Vi se Christianũ populum velle in libertatẽ asciscere iactant ac gloriantur, Ecclesiasticas omnes leges, humana omnia iura, omnia decreta tollũt, fassi Christi baptismate insignitum, nullis, excepto Euangelio, debere legibus obstringi. Hocipsum enim cæteris nationibus Christianum præstare populũ inquirent, quòd amplissima fruitur libertate, nullísque potest humanis legibus coerceri. Sed hi toto (vt aiunt) errãt cælo, cæcáque ista gloria sua & ambitione innumeros secũ in loca tartarea præcipites trahunt. Si enim vnus est totius Christianæ Reipublicæ pastor ac gubernator, cui vniuersarum ouium Christi cura demanata est, quid causæ est quur pro communi ouium vtilitate ac commodo condi ab ipso leges ac statuta nequeant? Nũquid non principis est leges, quibus cõmunis Reipublicæ status in omniũ tranquillitate cõseruetur, pro temporum hominúmque dispositione, condere ac promulgare? Si leges à Repu-

blica sustuleris, quàm breuissimo temporis interstitio corruat necesse est. Nã & qui ad cædes, ad latrocinia, ad depopulationes vrbiũ, societatem ineunt, nisi aliqua legum specie eorũ temeritas compescatur, quæ malè perditeq; excogitarunt, aut exitu præstare non valent, aut quàm maximo suo detrimento ac periculo. Constituere enim quam pro Repu. sit, aut totius populi est, aut eius qui publica fungitur potestate. Nam apud Romanos, & à Cõsulibus, & à Tribunis plebis ex Senatus sententia, atque etiam communi Tribuum assensu, leges quæ in commune consulerent, ferebãtur. Idem quoq; apud Græciæ populos in vsu fuisse, ex multis possumus historiis coniectare. At vbi omnia in vnius hominis potestatem venerunt, suo ipse leges condebat arbitrio: tametsi ob quandam speciem libertatis, ad eas ferendas, sibi Senatum consultorem adhibebat. Quid igitur mirum, si summus pro tempore Pontifex (cuius diuina institutione interest Christiani populi vitam ac mores moderari) leges, statuta, sanctiones, cõdat: quibus in Christiana Republica tran-

quillitas conseruetur. At dicent Lutherani: Habeant aliæ nationes suos legislatores, qui eas legibus onerent, præmát, suffocent. Nobis sub Christianam libertaté constitutis, sat sit legislatoris ac Seruatoris nostri Iesu Christi legem, quæ in Euangeliorum libris est præscripta, omni studio ac diligentia custodire. Apostolus nanque ad Galat. cap. 5. sic scribit: Si spiritu ducemini, non estis sub lege. Ad Timotheum etiam priori epistola, cap. 1. Non est, inquit, iusto lex posita. Sed & posteriori ad Corint. epist. cap. 3. cautos nos reddit ibi libertatem extare, vbi spiritus Domini fuerit. Si ergo lex Christiana infidelium cordibus descripta est, estque Libertas indiuiduus eius comes, quid est quod magis Christianorũ prosternat Libertatem, quàm humanæ Põtificum Conciliorúmque leges, quib' in perpetuam dãtur homines seruitutem? Adde & Vrbani papæ sententiam, quæ 19. quæst. 2. præscribitur: Qui enim (inquit) lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt publica constringat. At Christianum hominem sancti spiritus gratia, quæ priuata quædam lex est, duci est in-

confeſſo. Non eſt ergo publicis Pontificum legibus aſtringendus. Sed ſi Apoſtoli verba temerè (vt faciunt) exponantur, non modò Pontificũ, ſed etiam Dei Maximi leges abrogãdæ ſunt, atque è Chriſtianorum ædibus eliminandæ. Si enim nulla eſt iuſto lex poſita: Si vbi ſpiritus Domini, ibi libertas: Si qui ſpiritu ducũtur, ſub lege non ſunt, vt Apoſtoli verba in cortice præ ſe ferunt, quum non magis de humana, quàm de diuina lege Paulus faciat mentionem, omnem legem à iuſto, atque etiam à Chriſtiano populo arceamus oportet. Quod ſanè fit, vt neque Euangelio, neque alii diuinæ legi, homini iuſto ſit optemperandum. Non ſunt itaque Apoſtoli, aliarúmque ſacrarum literarum verba in cortice tantummodo inſpicienda: ſed ſunt acerrimo ingenio introrſum ad medulam vſque examinanda. Inter veterem quidem legẽ & nouam, hoc maximè intereſt, quòd vetus lex cuncta fermè quæ agenda erant, paucis humano permiſsis arbitrio, definiebat. At noua, ea duntaxat, quæ ſempiternum cum gratia & charitate nexum habent, præcipit atque de-

cernit. Reliqua verò, quæ, inquam, neque vllam cum gratia coniunctionem habent, neque cum ea digladiari solent, eorum quibus Christiani populi demádatur cura politica permittit. Vnde & ab hac constituendarum legum facultate potest modo aliquo lex noua, lex libertatis appellari. Dicant præterea Lutherani: Nónne quæ à vicaria Principis persona, dum eius authoritate fungitur, constituuntur, ea omnia in principis voluntatem sunt referenda? Si ergo Romanus Pōtifex Seruatoris nostri Christi vicem gerit in terris, Princépsque dominici gregis est institutus: qua ratione leges ab eo promulgatæ, non sunt pro Christi legibus recipiendæ? Qui enim inquit dominus, vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Apostolus quoque ad Romanos ca. 13. scribens ait: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Respondebunt fortasse, supremi quidem Principis esse, id est Christi, in Christiana Republica leges cōstituere. At ad eum qui Christi vicarium agat, non spectare vt leges condat: sed vt iis legibus quæ à Christo editæ sunt, iustè

ſapientérque vtatur. Quare ſi quis induxerit ſanctiones, dicendæ leges non ſunt,ſed tyrannides, ſed latrocinia, ſed populorũ oppreſsiones. Cæterùm meminerint Lutherani non eſſe quidem cuiuſuis hominis qui alterius vicem gerat,perpetuam legem condere. Veruntamen eum qui Principis ſeſe de noſtris oculis proripientis vicariam perſonam gerat,leges pro temporum locorúmque cõditione,cõdere non poſſe,omni prorſus ratione caret. Quo enim modo temporum negotiorũque neceſsitatibus ſuccurri poterit, ſi nemo in Republica ſit conſtitutus,qui ſuis poſsit legibus homines perditos coercere? Vt igitur Roma. Pontifici Catholicæ Eccleſiæ demandatur cura, ita condendarum legum pro Reipublicæ Chriſtianæ vtilitate facultas impertitur. Alioqui vana eiuſmodi præfectura eſſet,quando præſertim pauca de hominũ actibus, déque ciuili conuerſatione ſint Euangelica lege definita. Quare fateri omnino debemus,Romano pontifici pro ſua poteſtate licere, vt aliquas pro temporũ neceſsitate Euãgelio leges adiiciat,dũmodo ab ipſa Euã-

gelii lege non abhorcant. Vnde Hieronymus ad Lucinium scribens, præcepta Maiorum Apostolicas leges extimãdas esse censet. Admonet etiam Paulus Romanos, cap. 13. vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: propterea quòd potestas omnis à Deo ducat originem. Ad Thessalonicẽses quoq; scribit: Qui hæc spernit, non hominẽ spernere, sed Deum, qui etiam dedit Spiritũ suum sanctum in nobis. Hebræis item præcipit, vt suis obediant Præpositis, atque subiiciantur. Atqui fieri potest, vt Potestatibus sublimioribus subditi sim⁹, nostrísque Præpositis pareamus, si eorũ mãdata pro nostro possum⁹ arbitrio reiicere? Accedit quòd & in primo Apostolorũ sacro Concilio (vt Act. cap. 15. legitur.) sancitũ fuit, vt qui in Antiochia, in Syria, & in Cylicia erant, contaminationibus simulacrorũ, sanguinéque abstinerent, & suffocato. Pleræque etiam aliæ à Paulo cæterísque Apostolis edebantur leges, quæ nunquam in Euangeliis sunt descriptæ. Addiderim quòd non modò Pontificum, verumetiam & Conciliorũ leges pro numine (vt ita dixerim) sunt habendæ,

habendæ, atque summa reuerentia & suscipiendæ & obseruandæ. Nam ad discipulos Dominus ait: Ecce egò vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Alibi quoque, Vbi (inquit) duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Si cõtinuè nobiscum moratur Christus, Si in medio eorum qui in nomine eius congregati sunt versatur: credendum profectò est nihil ab illo Patrum consessu posse constitui, quod non Christus ipse suo lumine suggerat. Ad Paulũ redeo, qui omnem à iusto legẽ videtur arcere. Non est putandum leges, decreta, Sanctiones, præiudicium aliquod afferre libertati: nisi fortasse apud eum, qui à recto, atque ab eo quod imperatur animũ auertit. Is enim dum paratam, ni pareat, sibi pœnam prospectat, præcepta maiorum abominatur, odióque prosequitur. Quo fit, vt quum in diuersum trahatur animus, à suóque explendo desiderio deterreatur, ademptam sibi licentiam ac libertatẽ putet. At is qui à legis imperio non abhorret, sed ad ea quæ iubentur, propenso est animo, nihil si-i libertatis

ex lege putat adimi: propterea quòd sponte agat quæ lege sunt constituta. Quare quod Diuus Paulus ait, eos qui Spiritu ducuntur, non esse sub lege, non sic intelligendum est, quasi nulla lex sit, quæ iustorũ opera operationésque moderetur. Sed quoniam cum sua voluntate legem obseruent, ad obseruationem legis non arctantur inuiti. Quia nanque inferior lex, quam Spiritus sancti gratiã esse diximus, scriptæ legis affinis est & germana, qui interiori hac lege ad bene agendum inducitur, non vi, non metu, temporalis præmij spe vlla, sed honesti desiderio in obseruationem legis manibus pergit & pedibus. Quod verò iusto legem positam non esse dicit, in hac sententiam accipiendũ non est, vt nullis spirituales viri legibus obstringantur: sed quòd contra eos qui à recta frugíque vita desciscunt, fertur lex & promulgatur. Iusti enim quãquã diuinæ legis, sine qua neque Angelica natura constare potest, ad rectè viuendum indigent: nulla tamen violentia ad eius obseruationem compelluntur. Quod præterea ex eodem affertur Apostolo, Vbi Spiritus Domi-

ni est, ibi extare libertatem: sic interpretamur, quod qui Spiritũ sanctum suorum operum rectorem habet & moderatorem, ab omni violentia legis obseruatione sunt liberi: quippe quòd eorum animus in virtutem sit omni ex parte propensus. Nihil demum Vrbani verba huic obsunt sententiæ. Nam quũ Christiana lex quæ in cordibus fidelium est descripta, omni sit humana lege præstãtior, quum ad Spiritus sancti legem spirituales viri sua componunt facta, nulla publica lege, quæ diuinæ sit contraria, obstringi reuincíque possunt. Neque tamẽ eos ab omni, aut diuina, aut humana lege absolutos esse definimus. Si enim se à diuina lege subducerent, iusti profectò non essent. Si etiam ab ea humana lege quæ iusta ratione sit ædita, animum auerterent, nequaquã Petro iubenti vt subiecti simus omni humanæ creaturæ propter Deum, obtemperarent. Addi forsitan ad huiusce sentẽtiæ nostræ euersionem ea Domini verba possent, quibus nonnulli in primo Ecclesiæ ortu permoti fideles, nulli se subiectos humano existimabant imperio. Dicitur enim Ioan-

nis 8.cap.Veritas liberabit vos.& rursus: Si veritas vos liberauerit, verè liberi eritis. Sed hæc, D. Augustino interprete, de libertate à peccato sunt intelligenda. Huic autem libertati quid obstat nos iustis Pontificũ Conciliorúmque legibus subiectos esse debere? Nam, vt Paulus 6. ad Romanos capite scribit. Liberati à peccato, serui facti sumus iustitiæ. Possent quoque & de libertate ab antiquæ legis obseruatione conuenienter intelligi: iuxta illud Apostoli ad Romanos 7. cap. Nunc autẽ soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetustate literæ.

Quòd excõmunicatio Christianam libertatem non minuat.

CAPVT. IX.


St & aliud quod Hæreticos Christianam libertatem labefactare videatur, Excommunicationis scilicet censura, qua quispiã interdicit̃ Sacris ab omnique hominum consortio, & in manus Satanæ relegatur. Quid enim grauius, durius, seruilius homni potest accidere, q̃ vt Christianorum cœtu eiectus, in manus immanissimi tradatur hostis? Atqui & à diuo Paulo, ne vnquam male dicamus admonemur. Cęterùm quæ maior, quæ grauior, quæ execrabilior maledictio Christiano homini euenire potest, quàm vt omni hominum contubernio, omnibus Sacris, omnibus suffragiis interdicatur? Quodque omnium miserrimum est, acerrimo hosti captiuus detur? Sed est hac in re quam diligentissimè attendendum, tanto Pontificum iudicium esse æquum, quanto Dei iudicio, cuius ministros se gerunt, fuerit simile ac conforme. Duobus autem modis solitus est Deus Maximus hominem à vitio ad virtutem reuocare. Quando-

que enim aliquo damno afficit ac incommodo, vt ægritudine, vt opum iactura, vti imperij detrimento, vt propinquorum amicorúmque morte: Aliquando verò propria virtute permittit inuiti suáque ope destituit, vt suarum virium debilitate perspecta, ad Deũ à quo superbiendo desciuerat, humilior reuertatur. Vtrunque ergo huiusce nostræ Ecclesiæ Pontifex Maximus, dum hominem excommunicationis censura notat, efficit: Quo eũ vitendũ ductus, in meliorẽ tandem redeat frugem, à fidelium cœtu turpiter eiicit. At quo se spiritualiũ rex indignum nosces, ad Diuinã supplex opem confugiat, spiritualibus adiuuentis, Sacris inquam, quibus ad bene viuendum iuuari magnopere poterat, interdicit. Non itaque Euangelicæ libertatis fit iactura, si is qui Maiorum iũssis obedire detractat, quo in meliorem vitæ redeat rationem, excommunicationis censura notetur. Nam & Seruator noster Christus fraternæ correctionis modum formámque præscribẽs, eum qui Ecclesiam, hoc est Prælatum, audire noluerit, vti Ethnicum & Publicanũ habendum esse

decernit. Paulus quoque priori ad Corinth. epistola, cap. 5. in incœstuosum hominem excommunicationis ferens sententiam, ait: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi. Ad Thessalon. quoque cap. vltim. in hæc verba scribit: Quòd si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt cōfundatur. Significat etiam Timotheo se Hymeneū & Alexandrum tradidisse Sathanæ, vt discerent non blasphemare. Si ergo diuus Apostolus, maximus Euāgelicæ libertatis assertor, perditos homines & scelestos à cōmuni aliquando hominum cœtu arcendos esse putat: quid causæ est quur absque eiusmodi libertatis detrimento à Romano aliisque Pontificibus contumax ac rebellis Christianæ excommunicationis censura damnari non queat? Nam qui Maio-

rum præceptis obedire contemnit, non Spiritu sancto ducitur, vt ea gaudeat libertate, de qua meminit Apostolus: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Atque idcirco nimirum, si ad meliorem sanctioremque vitam sit hac excommunicationis pœna compellendus: durissimum sanè est atque grauissimum ab hominum conuersatione secludi: nō tamen iniquū est, neq; ab Euāgelica alienum doctrina, vt qui sua pertinacia Christianam exuit libertatem, suóque Pastori ac Principi parere studet, tali præmatur onere, talíque reuincatur cathena, vt quum pudore, tum damno resipiscens, in veræ libertatis semitam reducatur. Quod verò Satanæ tradi dicitur, non ita est accipiendum, quasi tanquam in iudicio condemnatus, in manus dæmonum extremo plectendus supplicio detur: sed quoniam & Sacris & suffragiis Ecclesiæ, quibus sanè contra Satanæ molestias tutari poterat, ob suam peruicaciā ac temeritatem destituitur. Sic tanquam inermis dæmoni tentandus abiicitur: vnde & faciliùs & infeliciùs prolabitur in crimina. Vt enī aduersus vicariā Christi personam cornu

erigit: ita & absque vlla Euãgelicæ libertatis iactura deprimitur, ab omníque Ecclesiastico deiicitur commodo ac beneficio Ab ea autem nobis maledictione cauendum esse Apostolus monet, qua homini optamus precamúrque malum, hac tantùm ratione, vt affligatur, vt doleat, vt excrucietur. At ab ea quæ eum hominem, qui à Maiorum suorum, imò à Dei Optimi lege, sua temeritate digreditur, aliquo volumus affici detrimento, vt & ipse mentis compos effectus, in virtutis gremium reuertatur, & reliqui eius docti malo, rectam gradiantur semitam, nos nullo deterret. Nam & sæpenumero Medici si putre aliquod membrũ offenderint, illud pro totius corporis salute præcidunt.

Quòd terrenum Romani Pontificis Imperium Euãgelicæ non derogat libertati.

CAPVT X.


Gedum, ea potestas, dicũt Lutherani, quam in spiritualis vita Christi amus, dirigendus est populus, Euangelicæ non obstet libertati, terreno potiori imperio, posséque in Christi oues desæuire. Ecquid non Christianæ repugnat libertati, cæcior talpa fuerit, qui non viderit ibi esse tyrãnidem, vbi Princeps posit subditis tanquam seruis imperare. Vnde eiusmodi regni eiusmodíque imperij cupiditatem Seruator noster Christus Iesus, de Discipulorũ cordibus excutere volens, Principes, inquit, Gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non sic erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seru⁹. Dicitote præterea, inquiũt, Romani Principatus defensores, iustúmne cẽsebitis vt maiorem Principem is qui eius vicariã personam agit, habeat potestatem? Non est, inquit Dominus, seruus maior domino suo. Si

ergo Christus Maximus terrenum omne imperium spreuit, neglexit, reiecit, sibique humilem ac pauperem delegit vitam; qui cõgruit vt Romanus Pontifex, qui se eius in terris vicarium gerit, Principem terrenum, Regem, Imperatorem agat? Nam neque D. Petrus ipse Praeceptoris sui ægregius imitator vllũ terrenũ habuisse legitur Principatum, sed ouium Christi saluti studuit, voluitque Christianum populum ab omni seruitutis iugo liberatũ esse. Cæterùm vniuersa hæc, ex quibus Lutherani aduersus Romanũ Pontificẽ calumniæ ansam capiunt, paruo negotio refellemus, si priùs varios esse imperãdi modos explicauerimus. Sunt sanè quidem, vt Aristoteli octauo ad Nechomachum libro placet, qui omne suũ imperiũ non in subditorũ vtilitatem, sed in suum referunt commodum: Sunt & alij, qui ad id potissimum in sua præfectura prospectant, vt populorum saluti, quieti, tranquillitati consulunt, qui omnia in sua commoda referunt, non veri Principes, sed tyranni, sed latrones, sed carnifices sunt. Estque eorum imperium libertati omni ex parte repugnans. At-

qui sua potestate ad populorum vtilitatem pacémque vtũtur, ij Christiani Principes sunt, veríque ouium Christi & pastores & custodes, nullúmque eorũ Principatus Euangelicæ libertati præiudicium adfert. Nihil enim potest cuique liberiùs euenire, quàm vt saluti trãquillitatíque suæ omnibus in rebus consulatur. Quum igitur ad Christianorũ commodum terrenum Romani Pontificis imperium omnino prospiciat, libertatis potiùs dicendum esse imperium, quàm seruitutis. Estque Romanus Põtifex, cui terrena hæc potestas est à Christo maximo impertita, Christiani populi ductor, pastor, conseruator meritò nuncupãdus. Quòd si à Lutheranis obiiciatur euenisse nonnũquam vt terrenum hunc Principatum, Romanus Pontifex vt in suum tantummodo atque suorum commodum retulerit, ipsámque Christianã Rempublicam non modò labefactauerit, verumetiam propè prostrauerit: considerent, nihil esse de veri liberíque imperij ratione detrahendũ, si vnus & item alter suo abutantur imperio. Est enim hæc in re non Principis vsus, sed Princi-

patus natura conſideranda. Nam & eleemoſynā natura quidem bonam eſſe diffitebitur nemo, ſunt tamen qui eam malè agant, ad inanémque trahant gloriam: an igitur aut tollenda, aut vituperāda eſt, propterea quòd aliquorum abuſu deprauetur? Ita terrenus Eccleſiæ principatus ſua certè ratione bonus eſt, omníque ex parte laudādus: quippe qui ad Chriſtiani populi commodum vtilitatémque ſit inſtitutus. Fueréque quamplurimi Romani Principes Pontifices, qui tali imperio non modò iuſtè ciuiliterque, verumetiam ſanctiſsimè vſi ſunt. Et ſub hanc noſtrā ætatem Beatiſsimus Iulius tertius Pontifex maximus, modeſtiſsimè ſapientiſsiméque hoc gerit Principatum. Quare terreni huiuſce imperij naturæ rationíque haud quaquam detrahendum cenſeo, quòd Pontifices aliqui in populorum cædes, in augēdáſque ſuorū opes ac dignitates, ſe omnino conuerterint. Quid præterea mirum, ſi Pontifex noſter Maximus habeat cum ſpirituali Poteſtate terrenum coniunctum imperiū: Nónne & Melchiſedech Rex fuit Salé pariter & Sacerdos? Moy-


ses quoque & terreni & spiritualis principatus aliqua ex parte exercuit potestatem. Nõne, vt Iosue 21. cap. scribitur, quadraginta & octo ciuitates sunt Leuitis ac Sacerdotib⁹ impertitæ? In vtraque autẽ dormiũt Lutherani, dum terrenum omne imperium esse dominorum in seruos potestatem arbitrantur. Hæc enim non solùm Philosophorum authoritate, verumetiam longa humanarũ rerum experientia dominatur. Quis enim est qui nesciat eum qui seruituti sit addictus, timore potius quàm amore in officio contineri: filium verò suaui quadam parentum beneuolentia ad eorum obedientiam attrahi, quadámque ingenij dexteritate regi ac gubernari? Romani ergo Põtificis in Christianos imperium nõ illius Principatus rationẽ habet, quæ seruis & dominis in sua coguntur obsequia. Sed illi⁹ quo fili⁹ à patre dulci quadã beneuolentia in liberali vita, in prætextatísque moribus continetur. Quare terrenum hoc Romanę Ecclesiæ imperium non Domini ad seruum, sed Patris ad filium, dicendus est Principatus. Vnde & illę antiquus Ecclesiæ vsus, quo se Ro-

manus Pontifex Seruum Seruorum Dei in suis diplomatib⁹ scribit, optimè huic nostræ sententiæ quadrat. Vt enim eum liberum hominem esse dicunt, qui pro suo commodo agit ac operatur: ita eum seruum appellant, qui ad alterius vtilitatem commodúmque laborat. Quod quũ pro communi Christianorum bono Romanus laboret Episcopus, ipsorũ potius dicendus seruus quàm Dominus. Cæterùm hunc à suis discipulis arcere Principatum haudquaquam voluit Christus, qui (inquã) cũ summa imperij potestate Principis seruitutem coniunctã habet: Sed illum duntaxat qui in subditos, tanquam in seruos ambitiosè, superbè, auarè solet exerceri. Nã & ipse Saluator noster Christus Iesus & Dominũ pariter & se seruum esse declarauit: quando (vt in Ioannis Euangelio legitur) posteaquam discipulorum pedes lauit, quod sanè seruorum est, Vos, inquit, vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim. Noluit ergo vt eum discipuli principatum ambierant, quod tyrannorum est imperium. Illam tamen Dominationem, quæ est cum principis seruitute cõ-

iuncta, non inhibuit. Non est autem timendum, ne si Romanus Pōtifex terreno potiatur imperio, Seruatorē ipsum nostrum aut dignitate superet, aut potestate. Erat enim Cælestis Terreniq; moderator, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Sed, vt ad Philippen. Apostolus scribit, Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Regem nanque se esse ostēdit, quum super asinum in vrbem inuectus, voluit iuxta Zachariæ prædictionem Rex consalutari. At quanquam Princeps, Rex, Imperator suapte natura erat, terreno tamen Principatu, dum mortalem hanc vitam nostram vixit, vti noluit: immò pauperem & miseriarum plenam vitam egit, quo spirituali hominum saluti, pro qua humanam induerat carnem, suam omnem liberiùs nauare operam posset. Idem & Apostoli, quorum studio, diligentia, industria, gratia, Christiana Republica coaluit, auctáque est, obseruarunt: ne scilicet temporalium rerum curis ac molestiis occupati, à suo studio institutóque absterrerentur. At postea quam Catholicæ fidei fama splendórque

dórque per vniuerſum terrarum orbem eluxit, Chriſtianáque Reſpublica, diuina prouidentia, ſanctorúmque Patrum laboribus, ſudore, ſanguine, prope in immenſum creuit, ab illo primo paupertatis vſu diſceſſum eſt: cœpitque Romana Eccleſia habere opes, terreniique imperij exercere Principatum, vt maieſtate ſua atq; authoritate) quæ ſine diuitiis ſinéque imperio teneri conſeruarique honeſtè non poterat) tantam Chriſtiani populi molem poſſet ſuſtinere. Non eſt igitur terreno Romani Pontificis detrahendum imperio: propterea quòd Chriſtus, quòd Apoſtoli, quòd primitiuæ Eccleſiæ Pontifices, pauperem egerint vitam, nulliúſque terreni Principatus gloria fuerint ornati. Diuerſa enim temporum, euentuum, negotiorum, conditio, alios mores, aliam vitæ rationē, alium rerum vſum poſtulat..

Quòd aliqua pecuniarum collecta Euangelicam non minuit Libertatem. CAP. XI.



T concedamus, inquiūt Lutherani, terrenum aliquem Romano Pontifici principatū: Quis est qui tantam vectigalium, decimarū, collectorum importunam exactionem, quantam sepænumero fieri videmus, non improbari? Adde quòd omnes Romanæ vrbis præfecturæ, quæ innumeræ fermè sunt, grandi emuntur pecunia. Ecclesiarúmque iura ac dignitates assequi nemo poterit, nisi pecunia diplomata redimātur, vt illud Iugurthæ dictū clamare liceat: O vrbem venalē & citò perituram, si emptorem inuenerit! Nunquid nō est hæc pecuniarum molesta collectio, in Euangelicæ libertatis dispendium, iacturam perniciem? Nam quum Simonem apud Matthæum 15. cap. Christus interrogasset, Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cēsum: an à filiis suis, an ab alienis? Respondissétque Petrus: Ab alienis, subintulit, Ergo liberi sunt filij. Alibi etiā dicitur; Gratis accepistis, gratis date. Si ergo filij ab omni tributo, Saluato-

tis nostri sententia liberi sunt: Si gratis accepta, gratis sunt impendenda, qua ratione Christianorum, qui filij Dei sunt, libertati consentaneum est, vt ab eis soluantur tributa, soluantur decimæ, soluantur sacerdotia, soluãtur præfecturæ? Non est hæc libertas, sed turpis, sed infamis, sed dedecorosa seruitus. Hæc & iis similia, magni aduersus Romanam Ecclesiam ponderis esse putant Lutherani. Sed ea nos parui esse momenti, esséque fabellas, nenias, ac perniciosa maleuolorũ inuenta euidenti ratione monstrabimus. Vt autem à vectigalibus ordiamur: Quis est qui ignoret iustissimè Regibus Principibúsque vectigalia tributáque deberi, vt cõmuni populorum paci, tranquillitati, saluti cõsulatur? Quo enim modo ab hostibus, à latronibus, à perditis ciuibus tuta reddi posset Respublica, nisi aliqua Principi suppeditarentur impensa, qua militum, iudicum, cæterorúmque præfectorũ ordines quibus gubernatur, ali sustẽtaríque possint? Ipsa enim rerum omnium magistra experiẽtia docet, pecuniã non modò belli, verumetiam pacis, omniumque earum

rerum,quibus vrbes ac regna conseruantur,neruum esse. Quòd si ad cõmunem vrbium commodũ eiusmodi vectigalia conquirantur, quid causæ est, quur non iustè sanctéque à populis exquirantur? Accedit quòd etiã ipsis Principibus pro conseruanda hominum pace, tanquam eorum stipendia,tributa soluuntur. Laborãtem enim agricolam,inquit Diuus Paulus, oportet primùm de fructibus percipere. Et ad Corinth. priori episto. ca.9.ait: Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineã, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius nõ manducat? Alibi etiã dicit: Qui altario seruit,de altario viuere debet. Dominus quoque noster operarium dignum mercede sua putat. At istud prudenter accipiamus oportet: Si videlicet populorũ vrbiúmque saluti operam incumbant,si moderata sint tributa, si sint æqua iustitiæ distributa ratione. Nam si immoderata sint,si ad populorum vtilitatem non referãtur, si æqua iustitiæ distributione careant: non modò non debentur Principi,sed est tyrãnidis arguendus,si vi extorqueat. Estque ipsis ciuibus

pro iniqua hac expilatione obæratus. Vnde & à domino eiusmodi Principes Ezechielis capit. 34 hisce verbis reprehenduntur: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quum ergo terrenum summo Pontifici concesserimus imperium, vectigalium quoque iura illi condonemus necesse est, in ea autem argumentatione, quæ Christianos ab omni tributorum solutione liberos esse volũt, eò quòd filij Dei sint, vehementer falluntur Lutherani. Non enim de omnibus Christianis illud Saluatoris dictũ est intelligendum: sed de ipso Christo Iesu, déque Discipulis eius, quibus res angusta domi erat. Quare eos solos Christianos à soluendis vectigalibus absolutos esse censebimus, qui pauperẽ Christi Apostolorúmq; vitam imitãtur, atq; rerũ omnium dominio se fecerũt expertes. Aequissimũ nanque est, vt qui diuinis tantummodo rebus sese ꝓ cõmuni rerum salute dedidetunt, nullo aut vectigalium, aut tributorum pręmãtur onere. Venio ad decimas, quarum etiã occasione pleriq; aduersus

Romanam obstrepunt Ecclesiā. Quid? Nonne qui Christianam Rempublicam amdministrat, saluríque animarum primariam curā gerit, si eius defendendæ ab hostibus immineat necessitas, potest Ecclesiasticorum bonorum non modò decimam, sed etiam quintam & quartam & tertiam partem ad bellicos vsus postulare, quibus & arcere hostē queat, & pacem ac tranquillitatem in Republica conseruare. Desipit qui hoc non cernit. Quis enim vsqueadeo excors oscitánsque est, vt nesciat partem pro totius conseruatione in discrimen ponendam esse? Nā & ictui in caput proruenti brachium, natura suggerente, obiicim⁹, ne ex huiusmodi permissione emoriamur. Si ergo decimas p Christiana Republica conseruanda Romani Pontifices quandoque exigunt, non est hoc illis crimini dandum: sed laudandi sunt, sed extollēdi, sed gloria illustrādi sunt, quòd Christiani populi saluti suo studio ac diligentia non desinit. Itidem & pro aliis Ecclesiæ commodis fieri posse credendum est: quando profectò Christianorum salus ex Romanæ Ecclesiæ salute

haud secus ac corporis integritas ex capitis integritate dependeat. Quemadmodum enim Leuitici 18. cap. iubentur Leuitæ summo Sacerdoti decimas dare: ita naturæ legi consentaneũ est, vt summo nostro Pontifici, qui cõmunem omnium nostrum curã gerit, à clericis cùm sese aliqua obtulerit necessitas, exhibeantur. Quod deinde in Romanæ Ecclesiæ contumeliam affertur, omnes curiæ præfecturas grandi oportere pecunia comparari, parui existimamus. Concesserim equidẽ ego melius forrasse vtiliúsve fore, si liberè condonarentur. Est tamẽ & in hac præfecturarũ venditione, quo rem Romanã tutari optimè valeamus. Nam quum maximi lucri sint, haud mirum, si in Ecclesiæ subsidium, quæ huiusmodi pinguia ampláque lucra constituit, Romanus Pontifex quippiam ab iis q Præfecturas exposcũt, accipiat. Sedes, quærent forsitan Lutherani, hanc Præfecturarum venditionem in magnã Christiani populi iacturam cedere: Propterea quòd qui aliquam sibi præfecturam pecunia cõquisierit, suam venditare studeat operam, quo profusam in ea as-

ſequenda pecuniam recuperare queat. Quò ſanè fit, vt ab iis qui eius operc indigent emungat ſanguinem. Verumenimuero qui hunc in modum blacterát, neſciũt eſſe à Romana ſede nimis præfectura certam exigendi normam conſtitutam, & eam quidem moderatam, quàm impunè præterire non liceat. Sperandum quoque eſt Iulium Pontificem maximum, vt omnibus in rebus modeſtiſsimus eſt, ita vſqueadeò vniuerſa vrbis negotia moderaturum, vt futurus deinceps nemo ſit (niſi planè improbus) qui Romanam curiã de auaritia, déque immoderato lucro taxare queat. Nam tale de ſe probitatis, modeſtiæ, primum adhuc Pontificatus ſui annum agens, iudicium dedit, vt maxima nobis eius beneficio euentura cõmoda poſsimus polliceri. Romanæ prǽterea Eccleſiæ hæc inuritur nota, quòd Sacerdotia diplomatáque non niſi pecuniâ redimantur. Sed dicant mihi Lutherani: Nónne omnium Eccleſiæ opum atque diuitiarũ Romanus Põtifex diſtributor eſt, ſuíque Pontificatus iure cuncta Catholicæ Eccleſiæ Eccleſiaſtica bona pro locorum per-

ſonarúmque qualitate poteſt diſpēſare? Quid ergo mirum, ſi pro cōmuni Eccleſiæ vtilitate, próq; ſuorum familiarium ſuſtentatione, ab iis quibus Eccleſiarum & curá & prouentum impertit, aliquam annuorum prouentuum partem expetat? Quî enim poſſet Romanæ ſedis authoritas cum dignitate ſeruari, niſi ex eiuſmodi rebus ſibi, vnde Pontificiū ſuū ordinem tueretur, conquireret? Si à Romano Pontifice pecuniarum detrahas ſubſidia, & Eccleſiaſticā omnem dignitatem calcari pedibus videbis, & nullam Chriſti vicarij à terrenis Principibus rationem haberi. Ex multis enim hiſtoriis, quas, ne meo longior inſtituto ſim, prætereo, apertè conſtat, quū Romanus auguſto ſe loco cōtineret Principatus, quū plures Romanam Eccleſiam calamitates ac moleſtias fuiſſe perpeſſam, & ita perpeſſam, vt miraculo ſit attribuendum, quòd ad hanc quam modò cernimus prouecta ſit maieſtatem. Nihil autem Saluatoris illud dictum, Gratis accepiſtis, gratis date, ſententiæ noſtræ officit. Senſus enim eſt: Neque Spiritus ſancti gratiam, neque ſpiritualium

rerum quampiam vllo vendendam precio esse: sed quemadmodum illam gratis accepimus, ita debere nos liberaliter elargiri. Quod postremò inclamare videntur Lutherani, Romæ omnia esse vænalia, apertum sanè mendacium est; hácque ratione ab ipsis effunctum, vt Romanæ sedis dignitatem maiestatémque commaculent. Nam si eius dignitas maneat atque maiestas (manebit autem maximo fortassè eorum damno ac detrimento) nullum se assequi posse in Christianos imperium: id quod quammaximè cupiunt, certo certius norunt. Non deest Romanæ Ecclesiæ iustitia, non deest clementia, non munificentia. Quòd si Pontificum aliqui auaritiæ sint sorde notati, omnis ea labes à Iulij tertij ædibus est explosa. Non enim in vrbem conuehendis pecuniis studet, sed morũ reformationi, sed paci, sed tranquillitati.

Quòd ieiuniorum institutio Euāgelicam non aufert Libertatem.

CAP. XII.



St & aliud Ecclesiæ institutum, quod pleri- que gulæ ventriq; dediti, ab Euāgelica desciscere censent libertate, ieiunii videlicet, & abstinentiæ præceptio. Quo enim pacto, inquiunt, cū hominem liberum esse dicemus, qui ne comedendi quidem quum libuerit habeat facultatem? Imò Maiorum legibus ad certa ieiunia, ad certámque statis diebus abstinentiæ normam sit obstrictus? Sed si mēte retineāt, eam (vt superius explicauimus) Christianā esse libertatē, quæ nos à seruitute peccati diuellit, iuxta illud Apostoli ad Galathas: Vos enim fratres in libertatem vocati estis: tantum ne libertatem detis in occasionem carnis. Manifestò deprehendent, quæ ad tollendam eradicandámque peccati for-

ultutem viuant, ea Christianæ non officere libertati: sed magis illi Apostolo esse fauori ac ornamento. At quis est qui nesciat temporariam earum rerum, quæ libidinem fouent intermissionē, qui maximè ad virtutem, ad animíque libertatem aptam esse & vtilem? Quis autem, nisi insaniat, carnis cupiditates cibo potúque foueri negauerit? Sine enim Cerere & Baccho (inquit Comicus) friget Venus. Non igitur ieiunium, quo ciborũ nonnunquam vsu interdicimur, aduersus Euangelicam libertatem pugnat. Accedit quòd & ad aliud negotium, quò maximè ad virtutem sustollimur, nobis est adiumento ieiunium, ad diuinorum, inquam, perceptionem. Daniel enim suæ prophetiæ capite tertio, à Deo se post trium hebdomadarum ieiunium reuelationem accepisse scribit. Apud Persas Magi illi omnium hominũ ad studia diligentissimi, animum ad res cælestes vestigandas euecturi, nullo cibi genere, excepta farina, & olere, alebátur. Gymnosophistæ omnium scientiarum expe- rientissimi carnibus abstinebant. Adde & aliam ad confirmandam vtilitatem ie-

iunii rationẽ. Posteaquam diuinam nostro malo genio violauimus legem, ad impetrandam veniam validissimum remedium est ieiunium. Ioel.enim cap.2. dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Niuinitæ quoque (vt in Prophetiæ Ionæ libro narratur) diuinam à se ieiunio auerterunt iram. Audi præterea Augustinum omnem ieiunii fructum in quodam sermone complectentem. Ieiunium, inquit, purgat animam, mentem subleuat, propriã carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Canit quoque in Præfatione Ecclesia: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Si ergo Romani Pontificis legibus, antiquáque Ecclesiæ obseruatione ieiunatur: certis item diebus abstinetur à carnibus, nihil contra Christianã agitur libertatem: immò pro ea conseruanda adhibeatur antidota. Quid? Euangelicæ ne obstare libertati dices., quod Christus, quod Apostoli,

quod sanctissimi Patres summo studio obseruarunt? Quadraginta dieb⁹ & quadraginta noctibus Christum ieiunasse Euangeliũ tradit. Apostoli 2 ad Corinth. epist. cap. 2. plurima se in ieiuniis multis passum fuisse gloriatur. Priori quoq; ad eodem epist. cap. 9. ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Nos etiam in ead. ad Corinth. epist. cap. 6. hisce verbis ad ieiunium hortatur: Exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in laboribus, in ieiuniis multis. De cæteris apostolis Actuum 13. cap. dicitur: Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus. Capite verò 14. sic habetur: Quum constituissent super singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, cõmendauerũt eos Dño. De antiquis Patribus, de Heremitis, de Monachis, q̃ frequẽter ieiunauerint, ita manifestum est, vt mea non egeat narratione. Dicent fortasse Lutherani: Abstinentiam à carnibus temporareã spontaneáque ieiunia non damnamus: sed eã damnamus legem, quæ nobis ieiunandi

necessitatē inducit. Nisi enim pro Romanorum Pontificum sanctionibus ieiunauerimus, æternæ dānationis reos nos esse volunt. At non est hoc Christi Euangelio, non Euangelicæ doctrinæ, non Apostolicis institutis, non Christianæ libertati accommodatum. Nam Luc. 5. ca. ipse legislator noster, Christus Iesus: Nō possunt, inquit, filij sponsi ieiunare, quādiu cum illis est sponsus. Qui autem, exceptis Christianis, filij sponsi appellandi sunt? Quandiu quoque cum illis est spōsus? nonne continuè? nonne vsque ad consummationem seculi? Matthæi etiā 15. cap. dicitur: Quod intrat per os, non coinquinat hominem. Vnde quum Dominus discipulos ad prædicandum mittit, Comedite, ait, quæ vobis apponuntur. Diuus item Paulus in eandem sententiam, priori ad Corinthios episto. cap. 14. inquit: Non est regnum Dei esca & potus. Quod sanè interpretatur glossa, Neque in abstinendo, neque in manducando iustitiam esse. Primæ etiam ad Timotheum ep. c. 4. Omnis, inquit, creatura Dei bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed

quanquam eiuſmodi dicta omnem videntur abſtinentiæ ieiuniorúmque legẽ euertere: non euertunt tamen, ſi rectè exponantur, introrſúmque inſpiciantur. Arenoſum enim imprimis & inſtabile iaciunt fundamentum. Ideóque haud mirum ſi ruinarum eorum plena ſunt ædificia, atque omni ex parte minantur ruinam. Nullam enim nobis abſtinentiæ neceſsitatem, niſi ab humana lege, impoſitam eſſe contendunt. Id quod ſanè & falſum eſt, & extra omnem rationem. Quæſierim equidem, Nunquid nõ hominum multitudo aliquo ad coercẽdas animi ægritudines eget remedio? Hoc ſi negetur, diui Pauli continuò ad Gala: 5. cap. præſto eſt ſententia. Caro enim, inquit, concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, ita vt quæcunque vultis, illa non faciatis Si ergo aliqua cõtra carnis deſideria, ne Spiritus integritatem obruant, indigemus medicina, naturalis certè rationis lege tãta nobis deligenda abſtinentia eſt, quantam ad carnis cupiditates reſtringendas neceſſarium eſſe deprehẽderimus. Non itaque homi-

hominũ tantummodo instituti, sed naturali etiam lege ad aliquẽ abstinentiæ modum suademur. Nam si abstinentiæ ieiuniique natura cõmuni quadã ratione pensetur: quatenus, inquã, ciborũ quædã intermissio est, qua coe cet carò, atq; tanquam freno, ne cõtra Spiritũ rebellis sit & temeraria, cohibetur. Nõ est arbitraria omnino, sed naturæ lege ad ieiunandum obstringimur. At si ieiuniorũ tempora, certúsq; ac definitus abstinentiæ modus consideretur, nõ naturæ lege, sed Maiorũ sanctionibus, longáq; Ecclesiæ consuetudine receptũ est. Vt enim secularium Principũ legibus naturalis iuris pcepta in tẽporalibus reb⁹ ad quendã obseruationis modũ p temporũ hominũque cõditionne collimitantur, ita spiritualis Principis interest, ea iuris naturalis præcepta moderari, q̃ fideliũ cõmodis in spiritualibus rebus inseruiũt. Quo sanè fit, vt sicuti aliis Christianorũ moribus, ita ieiunio abstinẽtiæque modum aliquem pro fidelium salute constituat. Quod autẽ blacterant, Non posse filios spõsi quandiu cum illis est sponsus, ieiunare, nullũ nostræ huic definitioni præ-

iudiciũ affert. Illud enim ad Christi tantummodo Discipulos, non ad omnes Christianos referendum esse D. Chrisostomus putat. Nam quum imbecillo adhuc animo essent, ac delicato in rebus spiritualibus stomacho, non erant ipso spõso præsente, ieiuniorum austeritate absterrendi: sed dulci potiùs ac suaui quadam beneuolentia confirmandi. Diuus verò Hieronymus de Veterũ obseruantiarum ieiunio interpretatur. Non enim qui noua Spiritus sancti gratia illustrandi erant, veteribus ieiuniorum obseruationibus debebant illigari. At Diuo Augustino duplex esse ieiuniorũ genus placet: Alterum scilicet luctus, exultationis alterũ. Primum cum amara quadam criminum pensitatione, atque cum præsentis vitæ amaritudine toleratur: Alterum cum spirituali quadã animi exultatione coniungitur: dum videlicet gustato Spiritu, desipit omnis caro. Perfectis viris, iis, scilicet qui continua propè diuinarum rerum contemplatione fruuntur, exultationis ieiunium tribuit D. Augustinus: Luctus verò amaritudinisq; ieiunium non tribuit; propterea quòd

continua propè ſpiritualis ſpõſi præſentia magnopere delectetur. Vnde vbi habetur in Euangelio Lucæ, Non poſſunt filij ſponſi ieiunare: in Euangelio Matthæi legitur, Non poſſunt filij ſponſi lugere. At cæteris Chriſtianis qui ad tantum perfectionis faſtigium prouecti nõ ſunt, luctus ieiuniũ apertum admodum eſt & accommodatum: quippe quòd & præterita crimina diluendi, & cauendi futura ſolicitam curam gerant. De perfectis ergo viris, de luctúſque ieiunio dictum illud Saluatoris intelligit Beatus Auguſtinus. Non itaque Euangelicam dedecet libertatem, quòd aliquæ de abſtinentiæ modo à Maioribus leges condantur. Sed cum hac ipſa libertate diuerſa perfectorum atque imperfectorũ virorum in obſeruandis ieiuniis conditio manet. Illi enim magna cum animi libertate ac voluptate, iſti verò cùm amara ſuorum criminũ conſcientia ieiuniorum leges obſeruant. Quod deinde affertur, cum cibum qui ingreditur in os, hominis animum commaculare non poſſe, veriſſimum ſanè eſt & alimenti naturæ conſentaneum. Qui enim cibus ore capta-

tus, in hominis animum, qui spiritualis naturæ est, ageret? Sed hoc ieiunij iura non tollit. Et si enim cibus suapte natura mentē hominis non coinquinat, si quispiam tamen in eius vsu modum excesserit, legémque transgrediatur, causā dehonestandi commaculandique hominem, vim róbúrque capit. Itidem ad D. Pauli dictum respōdetur, quòd, inquam, neque cibi, neq; potus abstinentia, si eorum spectetur natura, quidquam ad regni cælestis assequutionem operatur. Sed si ad cauenda crimina, ad constitutæque legis obseruantiam comparetur, maximæ nobis vtilitati vsuique accedit. Adde quòd quanquam Christi Discipuli, qui ad Christianam augendam Rempublicam ac confirmandam mittebantur, nullo ciborum genere interdicti erant, nullísque ieiuniorum legibus tenebantur. Quippe quòd sic eorum ad varias nationes profectio, eorúmque labor continuus exposceret. Verisimile tamen est quòd sæpenumero ieiunarent, atque per eos ad posteros ieiuniorū obseruatio deriuarit. Creaturam postremò omnem bonam esse, nihilque debere re-

iici quòd cum gratiarum actione percipitur, eandem videtur interpretationẽ recipere. Si enim ciborum natura spectetur, nulli sanè reiiciẽdi sunt cibi, quasi aliquam nobis culpæ maculam possunt inurere. Sed si aliquibus ciborum generibus rationabili ex causa interdicamur, aut sit aliquod abstinentiæ tempus à maioribus præfinitum, reiicienda tunc illa ciborum genera sunt: Estque legibus obtemperandum. Cæterùm hanc nostram in ieiuniorum obseruatione Euangelicę libertatis defensionẽ labefactare posse videtur, quod libertatis rationẽ in quadam agendi, non agendique facultate constitutam esse superiùs definiuimus. Si enim ita ieiuniorum legibus obstringimur, vt non ieiunare non valeamus impunè, quomodo agendi non agendique in nobis sita est facultas? Hæc igitur ieiuniorum institutio cum libertate nõ conuenit. Sed animaduertendum nobis est, eam quam superiùs asignauimus libertatis rationem, non cuiuscunque libertatis æquam definitionem, sed eius tantummodo qui cũ naturalis impetus necessitate coniũgi non potest: quæ, inquã,

completa omníq; ex parte perfecta Liberas est. Sic enim quod nulla necessitate ducti agimus, liberè profectò à nobis fieri dicitur: propterea quòd illud ita exitu præstamus, vt nullo nostro periculo non præstare valeamus. At hic libertatis modus non omnibus in rebus Christiano conuenit. Sunt enim pleraque in Euangelica lege perscripta, quæ impunè præterire nō liceat. Vt diligere proximum, vt mutuantem alteri, nihil superare debere: vt non concupiscere mulierem, cæteráque id genus plurima. Sunt & pleraque Pontificum instituta, quæ nôs ad quandam rerum obseruationem vrgeât. Vt ne festis diebus rei diuinæ vacare: vt singulo anno peccata confiteri: vt sacrosanctam Eucharistiam statuto tempore suscipere. Sed præter hanc quam diximus Libertatem, alia quædam Libertatis species est, quæ nō omnem quidem necessitatis modum excludit: Sed eum duntaxat qui violentia rationéque perfruitur. Quo sanè Libertatis modo ò agere dicimur liberè, quum quippiā nostra agimus voluntate. Nam omnis voluntatis impetus, siue naturalis sit, siue aduē-

titius, violentiā coactionémque excludit. Est enim violentum, quod est à principio extrinseco nil cōferente vim passo, id est passo nullam ad illud, sed magis ad contrariam inclinationem habente. Hæc est illa libertas, quam sibi suis in rebus agendis, veri vendicant Christiani. Quanquam enim quamplura Christianis legibus sub quandam agendi necessitate sunt constituta: ea tamen veri Christiani, non contra voluntatem, neque inuiti seruant: sed tanquam cælitus demissa quodam voluntatis ardore coeunt ac venerantur. A Christianorum enim legibus Spiritus sancti gratia, quam primariā nostram legem esse diximus, non descis cit.

Quòd Cæremoniæ quas Romana obseruat Ecclesia, Euangelicæ Libertati non repugnant.

CAP. XIII.



Vbmurmurant rursus Lutherani, multarũ Cęremoniarum obseruatione Christianum populum opprimi: ídque Euãgelicæ libertati repugnare dicunt. Neque enim rem diuinã Seruator noster Christus Iesus tot Cęremoniis struẽdam esse censuit: sed simplici quadam eius obseruatione contẽtus fuit. Quare vt Sacrosanctum ipse Eucharistiæ Sacramentum coram discipulis suis, nullo superfluo aut verborum aut Cæremoniarũ apparatu, perfecit atque constituit: ita & nos (inquiunt) ipsius simplicitate in eiusmodi sacramenti contrectatione contenti esse debemus. Baptismatis etiam sacramentum absoluta quadam simplicéque verborum textura voluit expediri. At nos econtra multis illum cæremonijs, multóque rerum ac verborum apparatu obuoluimus. Et ita obuoluimus omnia, vt in Sacrorum etiam omnium vsu Euangelica Libertas sit imminuta. Hæc sunt quædam aduersum sanctam Romanam Ecclesiam irritamenta, quæ isti peruersi

dogmatis inuentores, poſteaquã eos rerum ſpiritualium faſtidium cœpit, excogitarunt. Sed non vident ſe in hac Cæremoniarum calũnia non ſolùm Catholicæ noſtrę Eccleſię ſanctiſsimos mores, ſed etiam omnium gentium, omniúmque nationum longas obſeruationes expungere ac damnare. Nulla enim gens eſt, quæ non maximis quibus poteſt Cæremoniis aliquam Deo culturam exhibeat. Quis enim vſqueadeo inſaniat, vt Deo (ſi aliquem Deum eſſe putat, cuius prouidentia gubernemur) exteriorẽ cultum exhibendum eſſe non cenſeat? Qui cultum hunc diuinum nituntur euertere, ij non Romanæ Eccleſiæ modò, verumetiam vniuerſo terrarum orbi ſe opponunt. At eiuſmodi errori, in quem & antiquorum hæreticorum quidam inciderunt, diui Auguſtini verba in libro ad inquiſitiones Ianuarij, fauere videntur. Quæritur enim, quòd quidã (vt eius vtar verbis) ipſam religionem noſtram, quã manifeſtiſsimis & pauciſsimis celebrationũ ſacramentis Dei miſericordia voluit eſſe liberam, ſeruilibus præmãt oneribus. Cæterùm hoc nobis ſciẽdum eſt,

quòd quemadmodum diuinę finis eſt legis, vt in veram Dei Opt. Maxi. notioné ac reuerentiam prouehamur: ita Eccleſiaſtici Principis in cōdendis legib⁹ hoc debet eſſe inſtitutū, vt Dei Maximi maieſtas clementiáque hominum cordibus inſideat: atque aliquem ei cultum impartiant, qui internæ illius venerationis indiciū præ ſe ferāt. At quomodo interioris cultus ac reuerentiæ teſtimonium afferre poſſumus, niſi illum exteriori aliquo prodamus apparatu? Hæc itaque tot ſacrorum Cæremoniarum quas Eccleſia ſeruat, vera indubitatáque ratio eſt, vt & debitus Deo cultus nullis ornetur modis: & hominis cogitatio ex hac rerum ſenſibilium ſpecie ac imagine in maiorem Dei Optimi Maximi venerationé amorémque aſſurgat. Nihil enim Cęremoniarum Romana inſtituit Eccleſia, quod aliqua ſpirituali ſignificatione munitum nō ſit. Quòd verò eiuſmodi Cæremoniæ, quibus nunc Catholica decoratur Eccleſia, non ſint à Seruatore noſtro Chriſto in ſuis legibus conſtitutæ, in cauſa eſt, quoniam (vt ſuperiùs oſtendimus) ea tantummodò in noua lege,

quam in primis Spiritus sancti gratiam esse diximus, definienda erant, quæ aut ad nanciscēdam gratiam suppeditarent viam, aut gratiæ vsum rectum efficeret. Quare quum Sacramentorũ perceptione gratiam assequamur, in charitatis verò operibus bonus sit gratiæ vsus constitutus: debuit quidem legislator noster Christus Iesus & Sacramenta decernere, & de charitatis amore præcepta dare. De Ceremoniis autem nulla sibi habenda mentio erat, quando neque ad nanciscendam gratiam, neque ad bonum eius vsum necessariæ sint. Quamobrem ita humano relinquendæ arbitrio erant, vt qui futuri Christianæ Ecclesiæ moderatores erant, ea quæ ad diuinum cultum attinent, pro fidelium deuotione, próque temporum qualitate definirent: Quo effectum est, vt non vno eodémque tempore omnes Ecclesiæ Cæremoniæ sint institutæ, sed successione quadam, pro Pontificum atque sanctorum Patrum voluntate coaluerint. Nunquid enim satis pro suæ maiestatis excellentia laudari colíque Deus Maximus potest? Accedit quod plerósque ritus compluresque Cæ

remonias fuisse ab Apostolis & institutas & traditas, rationi admodum congruere videtur. A Dionysio namque Areopagita, D. Pauli Discipulo, multa quæ in Baptismatis sacramento seruantur, multa quoque quibus Sacerdotum ac ministrorum consecrationes ornãtur: multa quæ in aliis nostris Sacris agenda sunt commemorantur. Diui autẽ Augustini verba nostris ritibus ac Cæremoniis contraria non sunt. Non enim eos reprehẽdit, qui à Pontificibus ac Conciliis ab antiqua Ecclesiæ consuetudine sunt introducta: sed vanas quasdam & absque ratione Cæremonias, quas Sacrificulus quisque pro suo arbitrio, ob indiscretam quandã deuotionem volebat inducere, rationabiliter damnat.

Quòd Continentiæ præceptum Sacris annexum ordinibus, Euãgelicæ non obstat Libertati.

CAPVT XIIII.



Rauissimo deinde pō dere se immeritò premi quærūntur Lutherani: illúmque omnibus quibus possint modis, de suis conantur humeris decutere. Istud autem est castitatis præceptum, quod iis qui maioribus Sacris initiantur, per Pontifices maximos indictū est. Ferre enim æquo animo nequeūt, Sacerdotes alióscque maiores eorum ministros omni Venere atque connubio interdictos esse. Quæ enim, inquit, hæc Euāgelij Libertas est, vt qui Sacris initiari voluerint, perpetuæ continentiæ irretiantur vinculo. Nónne Apostolus ad Timotheum scribens, Episcopum vnius vxoris virum oportere esse definit? Ad Titum quoque scribit, eum in presbyterum constituendum fore, qui vnius vxoris vir sit? Si ergo Episcopum vnius vxoris virum esse oportet, quo iure ad perpetuā damnandus est continentiam? An vsquam in Euangelij lege perscriptum inuenimus, vt connubio quisquā interdicatur? Quæ igitur seruit⁹, quod onus, quæ oppressio,

qua Sacrorum ministeria Romani pōtifices, nulla Apostolicæ legis habita ratione, pro suo opprimere nituntur arbitrio? Hanc autem Pontificum legem vsqueadeo abominantur Lutherani, vt eorum Sacerdotes post emissum in eorum consecratione continentiæ votum, in Venerem redeant, atque post terga pudore iactato, noua ineant connubia. Quòd vt suas malè olentes sordes, aliquo quanquam raræ texturæ velamento contegant, quicquid eos à libidine auocat, impiè tyrannycéque Pontificiis legibus cautum esse conclamant. Sed nisi corporis oblectamenta spiritualibus bonis anteponerent, tot seculorum purissimas integerrimásque obseruationes non respuerēt. Oculis enim ægris odiosa lux est, quæ puris est amabilis. At sordescant adhuc qui in sordibus sunt: Nos quod Sacrorū nostrorū ministros decet, ornat, recipimus, probamus, veneramur. Quid enim equius, quid decentius, quid sanctius, quàm vt purissimum sanctissimúmque Eucharistiæ sacramentū à flaminibus, à mundísque omni ex parte ministris contrectetur? Nam vti mundas

quum ad Sacra eunt vestes induunt: ita & mundo à libidine corpore, alienóque ab omni perturbatione animo, debent accedere. Diuus nanque Augustinus in libro Quæstionum noui & veteris testamenti, quæst. 127. ait: Antistitem Dei puriorem cæteris esse oportet. Ipsius enim personam habere videtur. Est enim eius vicarius, vt quod cæteris licet, ei non liceat. Quia necesse habet quotidie vicem Christi agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tangere. Et non solùm huic non licet concubitus, verumetiam ministro eius. Quia ipse mundior esse debet, quia sancta sunt quæ ministrat Atsi fieri potest, vt is à concubitu mũdus sit, atque à mũdanis curis ac molestiis segregatus, qui vxoriis negotiis sit implicitus? Quẽadmodum enim qui se totos diuinis rebus manciparunt, quæ Domini sunt, abiecta rerum temporalium cura, considerat: ita & qui se vxoris addixerit seruituti, quæ vxoris sunt, quæue ad domesticã curam pertinent, perpetua mentis cogitatione verset necesse est. Hæc autem non dixerim, quasi cum Manichæis damnare nuptias velim: sed vt ostendam non

posse quempiam vxori simul & Sacris dignam nauare operam. Vt enim Diuus Paulus priori sua ad Corinthios episto. cap. 7. ait: Qui sine vxore est, cogitat ea quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Alludit & Ciceronis dictum. Nam Terentiam, quam repudiauerat, hac ratione se reducturum negabat, quòd vxori pariter ac Philosophiæ operam dare nõ posset. Quantas enim molestias afferat secum vxor, ex Theophrasto apud Gellium, atque etiam ex Plutarcho, de Præceptis Connubialibus, intelligi potest. Quòd sanè quum Romani Pontifices, iidémque sanctissimi Patres, qui ad res diuinas animum cogitationémque intenderant diligẽti studio, humanarúmque rerum epxeriẽtia deprehendissent, in compluribus Conciliis de Sacerdotum maiorúmque ministrorum cœlibatu leges condiderunt. Quid autem Euangelicæ Libertati isthæc sacrorum ministrorum munditia, istéque perpetuus cœlibatus apportet detrimenti, non video. Nunquid enim Euangelicæ repugnat Libertati,

Libertati, quod ex Euangelicis regulis desumptum est? At ex ipsis Apostolorum Canonibus (quos diligentissimus in omni re literaria Faber, in quatuor Græcis atque in quinque Latinis exemplaribus se inuenisse asserit) receptum est, vt qui maioribus sacris se initiarunt, vxore careant. Non ergo cum Christiana Libertate, perpetua hæc ministrorum continentia pugnat. Qui nanque ad sacros te ordines cogat, nemo est. Si vxori dare operam in animo est: Si rei fami liari adhibere studium curas: relinque Sacra. Non enim te fugit perpetuum illis continentiæ votum annexum esse. Vis tua in nuptiis libertate vti? Vtaris vt libet. Nemo te ad cœlibatum, sicuti neque ad sacrorum ordinem, inuitum repugnantémque compellit. Dices fortasse: Si cum sacro ordine vxorem coniungi non posse sancti Præsules existimarunt: quur Orientalibus Sacrorum ministris nuptiæ adempti non sunt? Sed hoc considerare debemus, non idcirco Sacrorum ministros vxoribus interdictos esse, quòd nuptiæ cum Ordine nequeant copulari: sed quoniam Sacro-

rum ministros ac contrectatores dedeceant nuptiæ. Græcis autem sacerdotibus ob eorum peruicaciam, vt pleraque alia, ita & nuptiæ permissæ sunt: non quòd illorum matrimonia, nostra non dedeceant Sacra: sed vt eorum peruicaciæ aliquid condonaretur. Maluerunt enim Romani Pôtifices, sacrorúmque Conciliorum celebratores illis rem aliqua ex parte indecentem condonare, quàm eorum animos à Christiana fide alienare. Quòd autem Apostolus Episcopum vnius vxoris esse oportere ait, ita in perpetuũ suũ fauorem Græci trahunt, vt ij tantummodò Sacrorum ministri censeantur digni, qui non plures, sed vnam duntaxat vxorem, & illam quidem virginẽ, duxerint. Quòd si qui plura celebrarint connubia, eos à Sacerdotij Sacris reiiciendos esse putant. Vnde & Sacerdotes, vxore humanis rebus exempta, perpetuò illigant cœlibatu. Eum etiam qui inuxoratus sese Sacris initiarit, omni connubij spe priuant. At Lutherani ea ipsa Apostoli verba in quandam nuptiarum necessitatem trahentes, volunt vt Antistites omnes, si suæ sa-

luti cupiant consulere, vxorem ducant. Quamobrem de tyrannide Romanam taxant Ecclesiã, quòd Sacerdotibus continentiæ necessitatem contra Euangelicam Libertatem iniiciant: quando tamen ipsi dum Sacerdotes ad nuptias vrgent, in grauiorem impellant seruitutem. Quid enim homini molestius seruilíusque vxore potest accidere? Nam vt est apud Iuuenalem,

Semper habet lites alternáque iurgia lectus
In quo nupta iacet: minimũ dormitur in illo.

Sanctissimi verò nostri Pontifices, quibus semper placuit quadam fidei sinceritate sacras literas interpretari; sic Apostoli verba explicant, vt nullam Episcopo sacerdotíue nuptiarum necessitatem inducunt: sed eum pluritate tantummodo vxorum in[t]erdicunt. Si enim diuus inquit Apostolus Episcopi dignitate quispiam ornari debeat, non plures habeat, aut habuerit vxores, sed vná tantummodo. Quod sanè post baptisma diuus Hieronymus intelligi debere censet. Nam si duas quispiam post Baptisma vxores duxerit, ab Episcopatu deiicien-

dum putat: non autem si vnam ante Baptisma, alteram verò post. Diuis verò Ambrosio ac Augustino placet, vt quocunque tempore quis duplices nuptias celebrarit, Sacerdotio censeatur indignus. Huiusce autem definitionis Apostoli ratio esse potest, vt signum respondeat rei. Nam quum Episcopi sacrorum dispensatores instituti sint, summi Sacerdotis speciem atque imaginem gerunt. Quare quum Christianorum matrimonium, Christi cum Ecclesia connubium repræsentet: Christi verò connubium cum vna tantummodo sponsa sit, scilicet cum Ecclesia: nimirum si vni dũtaxat sponsæ vnum Episcopum matrimonio copulandum esse Apostolus definiuit. Cæterùm est hoc in ipsa Apostoli tempora referendum, Nam quum essent tunc Ecclesiæ Catholicæ iacienda fundamenta, ob fidelium paucitatem eueniebat, vt si vxoratus quispiam conuertebatur ad fidem, quia aliorum instructor esse posset, eum ipsum ad augmentum Ecclesiæ Episcopum constituerent: tametsi vxoris cura destinebatur. Sunt enim qui diuum Dionysium Ariopagitã

vxorem habuisse dicunt. Sunt & qui idẽ de Apostolis omnibus, excepto Paulo atque etiam Ioanne, opinentur. At posteaquàm fidelium numerus auctus est, potestque de Episcopis, Sacerdotibus, Ministris, qui cælibem vitam ducunt, Ecclesiæ prouideri: honestiùs decentiúsq; esse sancti Patres existimarunt: vt qui maioribus sacris initiantur, vxoribus careant, quàm nuptiarum molestiis irretiantur. Sic enim purissimum illud atque sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, mũdiùs, simpliciùs sanctiúsque tractari posse iudicarunt. Nihil ergo Lutheranæ Veneri Apostoli verba fauoris adferunt. Quippe quòd & nullã sacerdotibus necessitatem inducunt, & ipsa vnius vxoris permissio ad Apostoli tantummodo tẽpora referatur. Quo fit vt Romanã calumniari Ecclesiam Lutherani nequeãt, si fidelium numero maiorem in modum aucto, eos qui sacra contrectant, ab omni abdicatos esse Venere voluerũt. Obiicientur fortasse Clericorum lasciuiæ adulteria, pellicatus, cæteráque id genus turpia: dicéntque omnem quidem nostra sacra decere munditiam. At quoniam

ij, quibus perpetua indicta est continentia, multis lasciuiæ modis in populorum scãdalum conspurceantur, consultiùs agi vt iusto matrimonio vxoribus vacẽt, quàm plenas meretricum domos habeant. Sed propter multorum clericorum incontinentiam, nón putauerim ego clericis esse connubbia permittenda. Debet enim Romana Ecclesia quod pro sacramenti sit dignitate constituere, curaréque vt ij tantummodo qui de perpetua sua continẽtia spem dederint, ad huiusce Sacri administrationem dent nomina. Quòd si quispiam eorum spem fefellerit, acrioribus pœnis ad eius voti obseruationem, quòd cum sacri susceptione ordinis emisit, est compellendus. Neque enim ad hunc castitatis modum nomen dare debebat, qui ad eius obseruationem animum non adiecerat.

Quòd neque religiosorum continentia Euangelicæ Libertati aduersatur.

CAP. XV.

VSqueadeo aduersarii Continentiæ sunt Lutherani, vt non modò secularium Sacerdotũ ac ministrorum damnent continentiam, verumetiam & Monachorum & Cœnobitarum. Esse enim præceptum Domini asserunt, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Illúdque nusquam aut abrogatum, aut immutatũ fuisse reperiri. At quomodo humanum multiplicabitur genus, si vniuersa religiosorum turba abstineat à Venere, à nuptiísque abhorreat? In tantam autem temeritatem atque dementiã deuenerunt, vt & virgines Deo sacratas de suis eductas cœnobiis, maritis connubent. & monachos ac cœnobitas ad cõnubia multis adhortationibus trahant. O infandam Venerem! O execrandam temeritatem! O inauditam impudentiam, ense, igne, tormentis, de vniuerso terrarum orbe profligandam! Quis enim vnquam, nisi Sacrorum contẽptor,

Virginem Deo dicatam, commaculare ausit? Legimus Beatiss. Matthæum Apostolum ac Euangelistam Irthacum regē acriter reprehendisse, quòd Iphigeniam Christi Opt. Max. sponsam sibi in coniugem postularit. Et vos Lutherani, de cœnobiis eductas virgines, quæ se ad ꝑpetuam continentiam voto obstrinxerunt, ad connubia trahere non erubescitis? Nónne & apud Gentiles, virgines quæ Sacris adscripserāt, magno semper in precio sunt habitæ? Quæ enim Vestæ, quæ Mineruæ, quæ Dianæ, quæ Iunoni Achiuæ sacra faciebant virginitatis gloria erant illustres. Adde quòd neque Mahumetani, quibus luxuriæ laxantur frena, continētiam damnant. Quid? & dæmones isti castitatis hostes perpetui, quo sibi numinis quippiā inesse fingant, quibusdam præcantationibus inuocati, non nisi virginibus apparere volunt, quasi (inquam) cum numine virginitatis coniunctionem habeant. Quid ergo damnatis quod tam boni quàm mali venerantur & colunt? Dicitote mihi, vt vos vestra responsione cōtorqueam: Nunquid non sunt bona animi corpo-

reis bonis potiora? Hoc si negaueritis, continuò hac vos negatione cõuincam. Sicuti corpore animus melior est, ita & bona animi bonis corporis potiora esse oportere. Si concesseritis vos qui corporis oblectamenta hoc reiiciunt instituto, vt liberiùs ad diuina animum extollant: condonatis iniustè. Quid enim sibi vult diuinus Paulús, quum priori ad Corinth. epist. cap. 7 ait: Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ auté nupta est, cogitat quæ mundi sunt, & quomodo placeat viro. Si cæca vestra temeritate damnāda est Virginitas: quur eodem in loco Apostolus inquit: De virginibus autem præceptum Domini nō habeo, consilium auté do. An vos qui Paulini esse, imò magis videri vultis, hanc Paulo inuretis infamiam: vt omne perditum atque damnatum consulat Corinthiis? Sed & D. Augu. in libro, de Virginitate, eam matrimonio hisce verbis præfert: Certa ratione & sanctarum Scripturarum authoritate nec peccatum esse nuptias inuenimus, nec eas bono aut virginalis continētiæ, vel etiā

vidualis æquamus. Diuus quoque Hieronymus contra Iouinianum, qui matrimonium Virginitati æquale esse cẽsebat, acerrimè disputauit. Quid? Nónne & Seruator Iesus ꝑpetuò virginem delegit matrẽ? Nisi fortasse & hoc ꝓ vestra temeritate negaueritis. Nónne & virgini discipulo ipsam suam matrẽ suffixus cruci commendauit? Agedum, Eam continentiam, quæ nullo sit voti nexu astricta, damnetis. Eam quam sacræ vouerũt virgines, monachi, cœnobitæ damnandã esse cẽsebitis? Nónne legistis in Psalmo: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Numerorum etiam libro, cap. 30. legitur: Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbũ suum: sed omne quod promiserit, implebit. Ecclesiastici etiam cap. quinto dicitur: Quodcũque voueris, redde. Item Deutero. 23. ca. Cùm votum voueris Domino Deo tuo, nõ tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si sunt soluẽda Deo vota: qui Virginitatis vestro arbitratu rescinditis? dicetis fortè, stul-

tam promiſsionem, & quæ contra diuinam legem ſit, Deo ſoluendam non eſſe. Virginitatis autem promiſsioně & ſtultam eſſe, & illi legi, quæ nos humani generis multiplicationi dare operā iubet, aduerſari. Sed malè præceptorū naturam conſideratis. Eorum enim præceptorum quæ alicui ſingulatim, & eorum quæ tradūtur multitudini, longè diuerſa ratio eſt. Quod enim vni aut diuina aut humana lege præcipitur, eſt illi omni diligentia, cura, ſtudio exequendum. Quod verò præcipitur multitudini, ſat eſt ſi exequantur aliqui. Nam ſi exercitui ab imperatore mandetur vt cuſtodiantur, eiuſmodi mandato optimè ſatiſfiet, ſi aliqui iuſſa capeſſant: Tametſi aliqui alijs bellicis operibus ſunt intenti. Ita in hoc diuino euenit pcepto. Quoniam enim multitudini datur, non ſinguli hac obſtricti ſunt lege: ſed eius ſufficiens habetur ratio, ſi quidam multiplicandæ proli operam nauent, alijs circa ſpiritualium rerum exercitia occupatis: quādo præſertim in ea inciderim⁹ tēpora, in quibus hominum Deum colentium, in immenſum propè auctus ſit nu-

merus. Nam quum longè plures sint, qui rei vacant vxoriæ, quàm qui vitam cœlibem viuant: haudquaquam timendum est, ne si quispiā abstineat à Venere, multitudo hominū defectura sit. Obiicient forsitan, ꝙ (vt Aristoteli 1. Ethico. libro placet) priuato bono præstantius esse cōmune, atq; diuinius. In confesso auté est eos omnes qui ab omni Venerea voluptate diffugiūt, priuatis tantūmodo studere cōmodis. Eos auté qui cōnubia ineunt, publicæ vtilitati. At respōderi potest, quòd tunc priuato cōmodo bonum cōmune præstantius est ac diuinius, quādo in eodé genere vtrunq; fuerit collocatū. Ciuitatis enim salutem vnius ciuis saluti præferendā esse nemo vnquā negauit. Si verò diuersa sibi adsciscant genera; nihil prohibet vt cōmuni quopiam bono priuatū aliud diuersi generis bonū sit excellentius. Nā sempiterna illa vni⁹ hominis felicitas, quæ est in diuina fruitione constituta, tēporali bono ciuitatis præstantior est & excellentior. Quoniā igitur Virginitatis atque nuptiarū commoda diuersorum sunt generum, nimirū si matrimonio Virginitas præstet, li-

cet illa in priuatum cõmodũ, istud verò in communẽ vtilitatẽ cedere videatur. Vnde & D. Aug. lib. de Virginitate, Credendum est, inquit, fœcunditatẽ carnis & illarũ quæ in hoc tẽpore nihil aliud in coniugio, quàm prolẽ requirunt, quàm mancipẽt Christo, ꝓ amissa Virginitate cõpensari non posse. Non igitur (vt Lutherani prædicunt) perpetua cœnobitarũ castitas, virginúmq; integritas cũ Euãgelica libertate digladiãtur. Nã quũ hominẽ ad religionẽ cogat nemo, quâ sanè ratione etiã in confirmãda sacerdotum continentia vsi sumus: neq; ad eam continentiã, quæ est cũ religione coniũcta, quispiã est qui compelli queat. Addiderim quòd maximo etiã cõmodo homini accedit cõtinẽtia. Mentẽ enim atq; cogitationẽ ad spiritualiũ rerũ cõprehẽsionẽ, in quib⁹ rationalis naturæ vita est cõstituta, quàm maximè reddit liberam. Quo sanè nihil est quod sapienti viro gratius, dulcius, suauius videri debeat.

Quòd Religiosorũ status Euangelicæ Libertati minime oppugnat. CAP. XVI.



Mnium præterea religioforum ftatum (vt hæreticorũ antea nónulli damnarunt) ita labefactare, funditúfque euertere quærũt Lutherani. Non enim eorum opinione cum Chriftiana Libertate coniungi poteft, vt fuam quifpiam fidem obftringat Deo, quando eum quãdoque obligatæ fuæ fidei pofsit pœnitere. Ait enim Beatus Auguft in epift. ad Armentariã & Paulinam, Quia iam vouifti, te obftrinxifti. Aliud facere tibi nõ licet. Non talis eris, fi non feceris quod vouifti, qualis manfiffes, fi nihil tale vouiffes. Minor enim tunc effes, non peior: nunc auté tantò (quod abfit) miferior, fi fidem Deo fregeris, quantò beatior fi perfolueris. Et (vt fingula religioforum examinentur vota) quum caftitas deuouetur, contra Euangelicam agi Libertatem putant. Nam hominem fæpius ftimulis Veneris actitari ipfa teftis eft experientia. Nunquid ergo melius eft, inquiunt, atque ad quietem mentis vtilius, poffe ipfum honefta Venere vti, quàm

perpetuum contra eiusmodi molestias bellum gerere, sæpissiméque à virtutis opere deturbari? Quid deinde obedientiæ votum commodi præstat? Nónne is qui eiusmodi obstringitur voto, omnem prorsus exuit Libertatem, sibíque perpetuó alieno viuēdum est arbitrio? Hoc autem quàm integrū sit, quamque Christiano homini congruat, vel ex hoc intelligi potest, quòd ad meliora opera sibi præclusa sunt itinera. Nam (vt B. August. ad Pollentium de Adulterinis connubijs scribit) ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cùm licet nobis impendere, tamen dilectionis causa impendimus. At quo pacto nobis integrum est, nostrum illi officium non præstare, cui omnia nostra iam voto obstrinximus officia? Nihil ergo grati officij præstare Deo possumus, si nostram illi adscripsimus volūtatem. Paupertatis rursus votū quàm inutile sit, quámque diuinæ legi repugnet, ex hoc (inquiunt) conijcere possumus, quòd contra seruitia Deo non placent. Si terrenas opes spernere reijceréque in animo est, id tua voluntate, non voti necessitate perficito. Nam quum

Christus Opt. Max. vitæ nobis perfe-
ctionem ostendit, nullam de Paupertatis
voto habuit mentionem: propterea sanè
quòd cuncta à Christiano homine libe-
ra volũtate agẽda esse censuerit. Quare
neque Christũ ipsum, neque Apostolos,
quicquã Deo cum voti obligatione per-
soluisse legimus. Detrahũt demum certo
definitóque Monachorum atque Cœno
bitarum vestium vsui ac colori. Quid e-
nim (inquiũt) illiberalius, imò quid ser-
uilius homini potest accidere, quàm vt
ad certũ habitũ, ad præscriptúmq; colo-
rẽ sit collimitatus? Nam qui in aliorum
cesserũt seruitutẽ, varium nonnunquã
vestimentoru genus induunt. Ad sum-
mam, dum omnem Christiani populi or
dinem, sexum, ætatem, in plenã se asse-
rere velle Libertatem pollicentur, Re-
ligiosorum omnium mores ac instituta
eneruare nituntur atque diruere. Sed in
re hac quàm maximè aberrãt Lutherani
dum omnem necessitatem omnémque
collimitationem ad vnum cum Euange-
lica existimant pugnare Libertate. Vo-
lúntque quicquid Christiano homini in
mentem venerit, impunè præstari exitu

exitu

posse. Falluntur (inquam) & vtrisque (vt aiunt) naribus stertunt, dum necessitatis naturam conditionémque ignorant. Quid enim Libertati à peccato (quam potissimam esse Christianorum Liberatem superiùs definiuimus) excepta peccati seruitute, potest repugnare? Repugnant quidem & extrinseca illa violentia, qua quispiam ad aliquod negotium voluntate repugnante compellitur, quādo coactio hæc virtutis laudem minuere videatur: Sed necessitas ea, definitióque ad vnum, qui ab interno quodam mentis habitu ducit originem, neque veræ Libertatis rationem explodit, neque virtutis laudem imminuit. Nèque enim cum minori Libertate, aut minori laude, iustitiæ fiunt opera (si ex interno iustitiæ proficiscuntur habitu) quàm si absque virtute (vt sæpenumero euenit) fiant. Nam virtus etsi in actione facilitatem efficiat, Euangelicam tamen Libertatē non tollit. Quid enim est aliud Euangelicæ legis institutum, quàm vt boni amantésque virtutum efficiamur? Quòd si eniti pro viribus, vt nostra omnia opera virtutis ornata splendore, Euā-

gelicæ nō derogat Libertati Neq; etiam eiuſmodi Libertati detrimentū affert, ſi cum ſibi quiſpiā viuendi modū deligat, in quo ſuæ oēs actiones ex virtute fiát. Eſt autem hoc Religioſorū in proficēda religione propoſitū, vt ſuas omnes actiones in eá virtutem referant, quam nos Religioné ſiue pietatem dicimus. Eius enim eſt quadā animi deliberatione aliquid Deo Opt. Max. polliceri: idq; ad ipſius obſequiū & cultū pro virib⁹ exhibere. Quò ſanè ſit, vt vnū & idē Monachi ſiue Religioſi opus in duas virtutes referatur. Quemadmodū enim is qui furatur vt habeat vnde in ſcorta ꝓfundat, & luxuriæ & auaritiæ notatur crimine: ita is qui ex voto omnē deteſtatur Venerē, nō modò continentiæ, verùm etiā Religionis opus exercet. Non igitur Euāgelicæ Libertati votū aduerſatur: ſed oīa Chriſtianorū opera excellentiora conſtituit.
¶ Ad hæc, ſi vnum quempiam finem mihi aſſequēdum præſcripſero, ſitque aliquid ſine quo aſſequi ipſum nequeā: non aquid non ad illud libera volūtate manū dicar apponere: tametſi quadā preſcripti finis neceſsitate ad ipſum impellor? Hæc eſt il

la operandi necessitas, quam sibi ij qui se Religioni deuouent, imponũt. Quã (inquã) necessitatem ex fine Peripatetici solent appellare. Nam dum Deo Max. omnibus in rebus pietate quadam ac religione subiecti esse delegerunt, si promissis stare volunt, ea quæ vouerunt bono prestent exitu, necesse est. Quòd quũ se Deo sponte subiecerint, talémque viuendi modum libera delegerint voluntate, quid causæ est quur & ea omnia q̃ ad hanc deuotam subiectionẽ spectant, non fieri liberè censeamus? Ad te sermonem verto Luthere, Tuum primum videtur esse institutum, vt tibi vnius sectæ vendices Principatum: sicque sempiternam tibi famam asciscas. Hoc autem tuum exequutioni mandare institutum non potes, nisi Saxones in Romanam Ecclesiam tuis perditis concionibus armes. Nunquid non liberè concionaris? Tibíque cum laborem liberè desumis, quo in tuam illos populos trahas sententiam? Ipsis tuis impiis ac sacrilegiis concionibus cum absoluta libertate, quædã ex fine necessitas coniuncta est. Hæc, inquam, si voti compos velis euadere,

Ad hũc ergo necessitatis modũ sese ad-scribunt Cœnobitæ, dum pro adipiscenda Christianæ vitæ perfectione, ad obedientiã, ad paupertatem, ad castitatem, suam obstringunt fidem: neque tamen Euangelicam exuũt Libertatem. Quod autem eum ipsum qui vouerit possit quandoque fidei obligatæ pœnitere, Libertati non obsistit. Nam ei certè vtilissimum est, quòd ab eius præstatione officij, ad quod se voto deuinxit, absque criminis macula discedere nequeat, etiã si promissi pœniteat officij. Vnde ad eũdem Armentarium (de quo superius habita est mentio) scribens D. Augustinus, Non te, inquit, vouisse pœniteat, imò gaude, iam tibi sic nõ licere quod cum tuo detrimento licuisset. Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit. Cæterùm & ea ratio, qua continentiæ votum impugnant, nullius esse roboris ostendi facillimè potest. Solicitudo enim de vxore, de filiis, de re familiari, maiorem animi molestiã affert, quàm contra prauas hominis cupiditates pugna. Illa enim continua atque perpetua est: hæc verò temporaria & succisiuis horis ineunda.

Adde, quòd si frenum quispiam semel atq; iterum imponat Veneri, corpúsque quum inedia, tum aliis compresśionibus premat, atque castiget, debilitatur, eneruatur, expugnatur: atque idcirco minus à diuinarum rerum vestigatione, ab officióque virtutis animum auertit. At vbi Veneri laxantur habenæ, in eam quispiam pronus incumbit, efficitur excitatior, vehemẽtior, ardentior: Sícque maiorem in modum mentem nõ modò à diuinarum contemplatione, verumetiam à veri inspectione deterret. Delectationis enim natura hæc est, vt in re desiderata quiescere faciat appetitũ. Non negauerim tamen aliquem esse hominem posse, cui melius tranquilliúsque sit in connubio viuere, quàm continere. Hoc enim Saluator noster innuisse videtur, quum post continentiæ laudationem subintulit, Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. qui potest capere, capiat. Sed nos, quod solet communiùs euenire consideramus. Pluribus enim minor, si contineant, animi perturbatio accidit, quàm si connubij molestiis excrucientur. Quod deinde aduer-

ſus obedientiæ votum obſtrepunt, parui eſt momẽti. Nam qui per obedientiam, alterius ſe ſubmittit arbitrio, non ea Libertate (quàm Euangelicam dicimus) deſtituitur, ſed conſtituitur à ſeruitute peccati liberior: quippe quòd ſe arctiori quodam nexu ad virtutem deuinxerit, dum enim quandam ſibi ſecundum virtutem viuendi neceſsitatem præſcribit, ab omni peccati ſeruitute digreditur. Non eſt etiam exiſtimendũ gratius Deo Maxi. fore, ſi ei quiſpiam nulla voti neceſsitate præſtetur, quàm ſi ſoluatur ex voto. Nam & idipſum quod ex voto perſoluimus, & votũ ipſum antequam ſuſciperetur, in noſtra poſita erant facultate. Quare cùm eiuſmodi noſtrã Libertatẽ Deo Max. viuendo condonamus, ita vt quæ ſemel polliciti ſumus, reddere teneamur munere ipſum inſigni & longè gratiori, quàm ſi ſoluti voto redderemus impartiamur. Non ergo ea omnia in noſtris officiis gratiora putat Beatus Auguſtinus, quæ nobis non impendere licebat, ſi ea tantummodo quæ aut nulla teſtamentaria obligatione, aut nullo alieno vrgente vinculo, elargimur. At ea

quæ nobis impendere nō licet propterea quòd nos ipsi nostram ad illa impendenda fidem obstrinximus; longè sunt homini gratiora, quàm si non impendere in nostro positum arbitrio esset. Illius enim primæ dilectiōis ac Libertatis vis, qua nos beneuolè ac liberaliter ad impendēdum obstrinximus, in illis officiis, quæ ex voto præstamus, perseuerat, vt dici possint amicè liberéque præstari. Illud præterea quod aduersus paupertatis votum perstrepunt, paruo negotio dissoluetur, si paupertatis commodum vtilitatémq; spectare voluerimus. Nam si humana bona recto iudicio metiamur, diuitiarum apparatus, infimum, virtus verò supremum locum tenet: tantóque humani boni diuitiæ rationem habent, quantò ad virtutū opera opitulari queant. Quòd si virtuti sint impedimento, non sunt bonæ, sed malæ, sed vituperandæ, sed abiiciendæ. Quid? Nónne sunt ei impedimento diuitiæ, qui totum se spiritualibus rebus addixit, nihílque antiquius dicit, quàm vt Christi mores imitetur? Hoc (nisi Saluatoris nostri verbis fides derogetur) negari potest. Matthæi

enim 19.cap.Si vis,inquit,perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus,& veni & sequere me. Cap. etiam 9.prædixerat,Solicitudo seculi,& fallacia diuitiarum suffocant verbum. Multi quoque nobis hac in re sunt exem plo Philosophi, qui patrimoniis opibus pro assequenda virtute renuntiarunt. Istam(vti cæteros prætereã)de Socrate Diuus Hieronymus ad Paulinam scribens ait.Socrates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, quum ad philosophandum Athenas pergeret, auri pondus abiecit:nec putauit se posse & diuitias & virtutes possidere. Quid igitur Religiosi homines,qui ducis Imperatorísque nostri & mores & monita obseruaturi,ad diuina totis viribus intendunt: reiiciant opes,Euanglicæ non obstat Libertati:neque etiam omnino verum est legislatorem nostrũ Christum paupertatem solùm, non autem paupertatis votum suasisse. Nam quũ nos ad vitæ perfectionem inuitaret,non solùm reiicien das esse diuitias docuit, verumetiam ne reuertemur ad eas, est hortatus. Lucæ enim 7. cap.Nemo,inquit,mittens ma-

num ad aratrũ, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Vnde & S. August. in libr. de Consen. Euangelist. iuxta Matthæi (inquit) & Marci enarrationem Petrum & Andreã non subductis ad terram nauibus tanquam causam redeundi sequutos esse Dominum, scilicet tanquam iubentem vt sequerentur. Apostolos denique sua omnia deuouisse Deo intelligi potest, quando relictis omnibus Dominũ sunt sequuti. Quid postremò molestiæ afferre debet Lutheranis, quòd certum quendam habitum vnaquæque sibi definierit Religio? Nunquid non est humana in conuersatione solitum, vt pro hominum conditione gerantur habitus? Nam aliud indumentorum genus deferunt, qui militiam profitentur: aliud Iureconsulti: aliud mercatores. Item, aliud virorum indumentorum est, aliud fœminarum. Sunt & pro cuiusque dignitate varia corporis indumenta. Adde quòd & in primitiua Ecclesia vt milites vestem gerebant militarem, ita Christiani vestem Christianam. Nimirum ergo si pro varietate Religionis varia etiam sint instituta, varij mores, varij habitus,

quibus vnusquisque quam profiteatur Religionem præ se ferat.

Quòd plurium Sacramentorum usus Euangelicæ non derogat Libertati. CAP. XVII.


Ntolerabili etiam onere Christianos premi autumant Lutherani, quòd plura Romana Ecclesia præcipiat Sacraméta, quàm in Euangeliis sint perscripta: quādo tamen non ad Romanum Pontificem, non ad Concilia, non ad fidelium cœtum, Sacramentorum spectet institutio: sed supremi nostri capitis fuerit ea decernere Sacramenta, quæ nobis ad salutem vtilia fore prospiceret. Nulla autem ab ipso, excepto Baptismate atque Eucharistiæ, instituta fuisse dicūt Sacramenta: cætera Romanorum Pontificum Conciliorúmque fuisse inuenta, quibus sanè Christianus populus vsqueadeò captiuus tenetur, vt neque extre-

mum agentibus ſpiritum, libeat quod voluerint: ſed morituri cogantur inungi, niſi cæleſtibus arceri velint ſedib⁹. Adde quòd nihil aut Confirmationis, aut Extremæ Vnctionis ſacramento in veteri Lege reſpõdet: quando tamẽ Sacramentorum Nouæ Legis nullum eſſe debeat, quod non aliquo ſigno in Antiquę Legis obſeruantiis ac Cæremoniis fuerit præmonſtratum. Cæterùm in Euangeliis de ſeptem Sacramẽtis quæ celebrat Eccleſia, mentionem haberi, eáque cõgrua quadam ratione fuiſſe inſtituta, non eſt difficile demonſtrare. Sed hoc imprimis animaduertendum eſt, non ad Apoſtolos vllo pacto ſpectaſſe vt inſtituerent Sacramenta, (vt de Confirmatione atque Extrema Vnctione aſſeruere nõnulli). Sed ad Eccleſiæ inſtitutionẽ Chriſtũ Ieſum. Quum enim prima Eccleſiæ Chriſtianæ fundamenta ipſa ſunt Sacramẽta, cuius, eſt ſuo loco ſtatuere, niſi eius qui & Eccleſiæ conditor authórque eſt, & omnium eius legum inſtitutor. Quamobrem quũ omnia ſint ab ipſo conſtituta, de Baptiſmo in multis Euãgeliorum locis mentio fit: de Pœnitentia, Matth. 4. de Confir-

Sacramẽta omnia à Chriſto inſtituta.

matione, Ioan.6 atque Luc.vltim.vbi de plena in Apostolos Spiritus sancti missione narratur. De Eucharistia copiosam enarrationem in Euangeliis fieri satis constat. De Matrimonio, Matt.19.ca. Dum Matrimonij perpetuitas explicatur. quod sanè magnum esse Ecclesiæ Sacramentum Apostolus scribit Ephesiis. Ordinis Sacri institutio datur intelligi quid Apostolos, septuagintáque duos Discipulos Ecclesiæ Christianæ ministeria instituit, Matth.10.Marc 6.& Luc.10.ca. Extremam Vnctionem in hoc intelligimus, quòd Apostolos Christi mandatò (vt Marci 6. narratur) infirmos olei Vnctione sanasse describitur. Nō obstat autem quòd nulla de quorundam Sacramentorum materia formáue in Euāgelio fiat mentio. Erant enim eiusmodi in ipso primo Ecclesiæ ortu infidelibus occultanda, ne eis irridendi Christianos mores ansa præberetur. Quæ sanè causa Dionysium etiam Areopagitum aperta Sacramentorum omnium enarratione deterruit. Credēdum verò est (vt Diuus August.4.contra Donatistas libro videtur) eiusmodi Sacramēta, quæ Catholi-

ca veneratur Ecclesia, Apostolica traditione recepta. Potest autem & conueniens quædam horum Sacramentorum ratio reddi. Nam quum Spiritualis nostræ salutis causa sint īstituta, sed ad ea in quibus humani corporis salus constituitur, quadam propositione definienda. Vt enim primùm vitam à parentibus naturali generatione nanciscimur, tum per augmentum in iustam magnitudinem, perfectúmque robur assurgimus, deinde acquisitum robur nitimur alimento seruare: & si in ægritudinem inciderimus, medicos adhibemus: ita ad spiritualem vitam regeneramur baptismate atque renouamur: iuxta illud Apostoli ad Titum 3. cap. Secundum misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: fidei constantiam, animum (inquam) ad confitendum Christũ, Confirmatione adipiscimur. Nutrimur Eucharistia, iusta illud Saluatoris nostri dictum Ioan. 6. capite, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Curationem animi quidem Pœnitentia, corporis verò ex animo quum fuerit optimũ, Extrema Vnctione cõse-

quimur. Quemadmodum prętereà & parentum beneficio vitam adipiſcimur, & Principum cura ac diligentia, pace fruimur & trãquillitate: ita ſunt & Spiritualis vitæ propagatores quidam ac conſeruatores Spirituali quidem tantummodo miniſterio ij qui ſacris ſunt ordinibus conſtituti, corporali verò pariter & ſpirituali, ij qui prolem ad diuinum educandam prolem congenerant. At in Veteri Lege quorundam quidem Sacrorũ erãt imagines definitæ aliquorũ tamen definitæ, nõ itãt. Nam Baptiſma, Circũciſio, Euchariſtia, Oblationes & Sacrificia: Sacrũ ordinem, conſecrationes Aaron ac filiorũ: Matrimoniũ, inter pſcriptas quaſdã perſonas cõiugium: Pœnitentiã, expiatio pro peccatis præſignabãt. Confirmationis verò atque etiam Extremę Vnctionis nulla debuerunt ſigna præcedere: Propterea quòd ſub eam ætatem neque Spiritus ſancti plenitudo, quæ in Confirmatione confertur, eſſet hominibus impertita: neque poſt mortem æternam continuò quiſpiam aſſequi beatitudinem poſſet, ad quam per Extremam Vnctionem tanquam proximo quodam adiumento,


sit præparatio. Verùm etsi duo hæc Sacramenta Vetus Lex in Sacris non contineret, sunt tamen à Christo Domino (vt diximus) instituta, à Catholicáque Ecclesia Apostolorũ traditione recepta. Confirmaturũ se discipulos fuerat Christus, quum (vt in Euangelio Ioannis cap. 16. perscribitur) dixit: Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Lucæ quoque vlt. ab ipso dictum fuisse narratur: Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Extremæ quoque Vnctionis meminit, quum (vt superiùs citauimus) Apostolis vt olei Vnctione sanarent ægrotos, edixit. Satis hæc supérque de Sacramentorũ pluralitate dicta sint. hoc vnum tantummodo addiderim, non vsqueadeò vniuersa hæc Sacramenta nobis fore necessaria, quasi si eorum vnum defuerit, sint nobis Cælestis regni fores occlusæ. Nam absoluta quidem nobis Baptismatis innuitur necessitas, aut (in quã) actu, aut interno desiderio suscepti: quũ Seruatoris nostri sententia, Nisi quis renats fuerit ex aqua & Spiritu sancto, in regnum Dei introire non posse, Pœni-

tentiæ: item Sacramentum si fuerit, si quodpiam expiandũ, est cum necessitate coniunctũ. Iuxta illud Luc. vlt. Oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius Pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Cætera quanquã hanc coniunctam necessitatem non habent: si tamen habeantur contemptui, in perditionem trahunt. Quare si is qui est animam vitámque efflaturus, extremam renuat Vnctionem, tanquam Euangelicæ Legis contemptor, sibi æternam damnationem comparat. Si verò sese ex hominum conspectu repétina morte præripiat, non propterea æternæ damnationis reus constituitur, quòd non Vnctus è vita migrauerit.

Quòd Cõfeßionis institutio cum Euangelica cõcordat Libertate.

CAP. XVIII.

Sunt


Vnt fortasse Sacramẽtorum quædam, quæ cum Christiana Libertate conuenire concederent Lutherani. At Confessionis sacramẽtum nullo pacto cum Libertate, eorum opinione conuenit. Quæ enim, dicunt, maior accidere homini seruitus potest, quàm vt omnia sua crimina, quæ quàm occultissimè fieri potuit, clam omnibus commisit, vni homini, & forsitan nusquam anteà cognito, detegat? Nunquid non satis est ad impetrandam veniam, ei qui cordium secreta scrutatur, sua scelera internâ quadam mentis enumeratione reserare? Quid enim illa in aurem hominis Confessio prodest? An non potis est Deus omnia nobis nostra crimina quocũque reiecto arbitrio condonare? Quid homini euenit molestius, grauius, durius, illa auriculari Confessione posse cẽsemus: quãdo neque maximis quidẽ tormentis adhibitis, sua quãdoque crimina fateretur? Quæ gens, quæ natio, quæ religio, (excepta Christiana) tam graui præmitur

ſeruitute? Et tamen hanc noſtram mortalem Chriſtus Max. induit carnem, vt nos in Libertate aſſereret, ab omníque redimeret ſeruitute. Non eſt eiuſmodi Confeſsio, Chriſti legibus conſtituta: ſed hominum fuit inuentum, quo Chriſtianum populum Romani Pontifices grauiùs quàm populum Hebræum Pharao operibus duris luti & lateris, opprimere voluerunt. Nobis ergo, inquiunt, qui in Chriſti militiam nomen dedimus, ſat ſit clementiſsimo Deo, mente cogitationéſque confiteri: hac tamen fide, quòd ipſa noſtra crimina nobis ſint diuinâ clemētia relaxanda. Fides enim omni credenti ad ſalutem operatur. Et (vt Apoſtolus ad Romanos ſcribens ait) Iuſtus ex fide viuit. Ad Gallatas quoque, Omnes filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sed & Chriſtus ipſe mulieri, cui peccata multa dimiſerat, dixit: Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace. Cæterùm dicant mihi Lutherani: Si non eſt Chriſti diſpoſitione inſtituta Confeſsio, ſed humanum magis eſt inuentum, quid ſibi ea Chriſti Domini verba ad Petrum, Matth. 16. voluerunt, Quodcunque ſol-

ueris super terram, erit solutum & in cæ lis. Et quodcũque ligaueris super terram erit ligatũ & in cælis? Ad reliquos quoque Apostolos: Quodcunque alligaueritis super terrã, erit ligatum & in cælo. Et quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælo. Quid, inquam, hæc ligandi atque soluendi potestas secum adfert? Non ligandi atque soluendi corpora facultas est: sed soluendi humanos à peccatis animos, eosdémque ligandi; aperiendi Cælestis patriæ fores, eásque etiam claudẽdi. Vnde & Petro regni cælorum claues committuntur, & omnibus Apostolis dicitur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Insanit autem qui non de potestate, sed de fide hisce in locis agi putat. At cũ iudicio quodã ad ligandum hominem aut soluendum opus sit, iudiciúmque omne cognitionem causæ deposcat: necesse vtique est vt is cui remittendi detinendíque peccata facultas concessa, aliquam criminum eius qui iudicandus est, habeat notionem. Verùm quo pacto multa hominis crimina scire quispiam potest, nisi se ipse pro-

dat? suáque scelera iudici manifestet? Si enim opera (ait Boetius) medicantis expectas, oportet vt vulnus detegas tuū. Dum itaque Apostolis Legislator noster Christus ligandi atque soluendi contulit potestatem, Confessionis ac Pœnitentiæ instituit Sacramentum: voluítque vt quicunque aliqua se peccati commaculatum nota cognouerit, illud Sacerdoti in aurem detegat: pro eiúsque arbitrio subeat vltionem, si & veniam assequi cupiat, & commeritam sibi, aliqua saltē ex parte, pœnam relaxari. Dicent forsitā Lutherani: Quæ huiusce institutionis cōgrua ratio potest assignari? Nunquid non poterat is qui sua perdita vita, à diuina lege desciuit, in Dei gratiam, absque secretiori hac confessione redire? Poterat sanè. Non enim ad nostra ista Sacra, virtus diuina collimitāda est. Verumtamen quum Christi Optimi passio, vniuersalis nostræ salutis causa sit, erat virtus eius per aliquas particulares causas ad nos deriuanda. Nam & in rerum naturalium ordine, cum Cælesti virtute, quæ vniuersalis causæ rationem habet, inferiora agentia, tanquam

particulares causæ ad generationem, quadam naturali necessitate concurrũt. Hasce autem particulares salutis nostræ causæ, si sensibiles sint, Sacramenta vocamus. Quare vt Baptismate originale crimen, ita confessionis Sacramēto, tanquam particulari salutis nostræ causa, crimen actuale diluitur. Legimus autem & quandam in Euangelio huiusce instituti imaginē ac figuram. Narratur enim quatinus ii qui ad Ioannem vt baptizarentur veniebant, sua confitebantur crimina. Item quòd Christus leprosos à se mundatos, vt se ostenderent Sacerdotibus imperauit: designans sanè eos omnes qui suæ passionis virtute erāt à peccatorum sordibus expurgandi, suam lepram, id est sua peccata oportere Sacerdotibus denudare. Quòd si contenderit quispiam nullam in Euangelio de Sacramentali hac Confessione expressam fieri mentionem, sat sibi esse debet, in ea ligandi atque soluendi potestate, Primũ Petro, deinde omnibus Apostolis impartita, Sacramentum eiusmodi Confessionis contineri. Adde quòd & ipsam Apostolus Iacobus epist. suæ cap. 5. hisce ver-

bis, Confitemini alterutrum peccata vestra, manifestissimè promulgauit. At dicent Lutherani: Quid ad secretiorē hanc Confessionem Apostoli Iacobi verba? Non enim vt nostra Sacerdoti manifestemus crimina iubet: sed vt alterutrum peccata confiteamur hortatur: hoc est, vt nobis mutuò vicissímque nostra scelera detegamus. Cæterùm, non attēdunt Lutherani quòd quum ad eam nos Cōfessionem hortetur Apostolus, quam à Christo institutam fuisse supponebat: eam autem quæ fit Sacerdotibus (vtî superius ostendimus) Christus instituerit: non mouemur vt mutuò omnes qualescunque fuerimus, crimina referemus: sed vt eis confiteamur secretiùs, quibus de peccatis decernendi facultas demandata est. Si ergo Christi Iesu legibus Sacramentalis hæc Confessio definita est, tota (vt aiunt) errant via, qui eā ab Euāgelica desciscere Libertate putant. Nihil enim quod Christi lege cautum est, ab Euangelica desciscit Libertate. Obiicient forsitam rursus: Sit Christi legibus constitutum vt in sacerdotis aurem confiteamur. Quî negari poterit nullum esse


nobis confeſsionis tempus in Euangelica lege præſcriptum? Quomodo igitur annua iſta confeſsio, quam Innocētius 3. Pont. max. noſtris impoſuit humeris, cū Chriſtianā Libertate non pugnat? Sed ſi ea quæ ſæpius replicauimus, animaduertere voluerint, videbunt & annuā hanc Cōfeſsionem cum noſtrā Libertate cōuenire. Nam quod in Chriſtianorum cōmodum ac vtilitatem à Romano præſule conſtituitur; id diximus noſtræ haud quaquam officere Libertati, quanuis noſtro quādoque videatur ſenſui repugnare. Sæpe enim quod ſenſui contrarium eſſe cernimus, liberā voluntate pro virtute cū ratione deligimus. At dicant mihi: Nónne Chriſtiano populo etiam hāc annuam Confeſsionem apprimè vtilem manifeſtè deprehēdimus? Cæciores talpa fuerint, qui hoc nōn viderint. Conſtat enim, & apertiſsimè quidem conſtat, eos qui Pontificiam hanc legem aut negligunt, aut deſpiciunt, perditiſsimos homines, ſacrorúmque omnium cōtemptores fieri. Atque etiam in tot nephanda flagitia delabi, vt eos beluas potius eſſe cenſeas, quàm homines. Econtra ve-

rò eos qui annuam hanc confeſsionem diligenter obſeruant, modeſtos, iuſtos, frugales inſtitui, in melioréinque ſemper frugem emergere. Sunt etiam & qui facilè animum à Chriſtiana fide auerterent, niſi hoc annuæ confeſsionis confirmarentur vſu. Quare nemini dubium eſſe debet, quin maximum ex hac ſanctiſsima lege Chriſtianus populus fructum referat. Non ergo duro nouóque præmimur onere: ſed ei quod eſt Chriſti legibus indefinitè mandatum, Pontifex Maxi. (cuius eſt quum Chriſtianam Rempub. moderari, tum diuinam interpretari legem) congruum humanis moribus tempus definiuit. Noſtræ præterea huic, imò ſanctorum Patrum ſententiæ non officit, quòd omnia noſtra flagitia nobis à Deo, abſque Sacramentali hac Confeſsione, condonari queant. Quemadmodum Mariæ Magdalenæ (Si ea peccatrix fuit de qua ſeptem eiecta fuerant dæmonia). Quemadmodum Petro, quémadmodum Paulo fortaſſe condonanit. Cum hoc enim abſoluta diuinæ maieſtatis virtute cōuenire conſtat, vt poſtquā rationis vſum nacti ſumus, teneamur ob

eam quam adduximus rationem, nostra omnia crimina singulis annis in Sacerdotis aurem confiteri. Non est autem hæc ipsa annua Confessio in Christianorum aut infelicitatẽ, aut miseriam retorquenda: propterea quòd ipsi soli hoc onere comprimantur. Nam ceteræ quidem nationes, vt secretioris istius Confessionis vsum reiiciunt, ita Confessionis fructu commodóque destituuntur. Quo fit vt illæ perpetua peccatorũ culpa commaculentur, perpetuúmque diaboli iugum ferant: Christianus verò populus à peccati labe mundetur, in perpetuámque animi Libertatẽ Christi nobis sanguine paratam, vindicetur. Non impedit postremò, quòd fides omni credenti ad salutem operetur, iustúsque ex fide viuat. De ea enim fide intelligẽdum est, quæ & Christo Opt. Max. diuinum exhibeat cultum, & sit cum Christianæ legis obseruatione coniuncta. Quòd si quispiã Christi baptismate dilutus, credénsque in Christum, à Christianis legibus, à Christianísque Sacramentis abhorreat, inutilis sibi incommodáque ad salutem est sua illa arida & monstruosa

(vt ita dixerim) fides. Imò tantò grauiori digna est supplicio, quantò maiori in Christũ, qui cũ sui populi numero adscripsit, īgratitudinis nota cõmaculatur.

Quòd maiorum quorundam casuum reseruatio ad Pontificem, Cristianæ non derogat Libertati. CAP. XIX.



Vi malè perditéque de Romana sentiunt Ecclesia, vniuersas Pontificum leges ac sanctiones in quandã reiicere seruitutẽ student. Sícque plebem Libertatis auidam, ab eius obediẽtiã nituntur euertere. Dicunt autem (vt cætera omnia omittamus) nobis Sacramẽtalem hanc tuam confessionem, quæ in sacerdotis aurem immurmuratur, de manibus extorseris, sitque (vt ais) Christi legibus constituta, nunquid non extremã nobis seruitutem iniicit, quòd maiorum

quorundam scelerum examinationem ad suum Romanus Pontifex iudicium euocarit: minorum tantummodo delictorum inferioribus sacerdotibus absolutione permissa? Nónne sicut Petro dictum est, Quodcúque solueris super terram, erit solutum & in cælis: ita & cæteris Apostolis, Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælis? Itē, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis? Si ergo omnibus Apostolis pro se, próque suis successoribus absoluendi facultas absque omni discrimine cōcessa est: qua ratione hanc sibi Romanus Pontifex authoritatem vendicat, vt ad se tātummodo velit maiora deferri crimina? Hoc enim & sacerdotum consecrationi derogari luce clarius patet. Nam dum consecratur sacerdos, illi dicit Episcop⁹: Accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta sunt. Quo fit vt sacerdotes omnes in hac peccatorū relaxatione videātur æquales. Verū enimuero attendendum nobis imprimis est duplicem in catholica Ecclesia esse super corpus Christi mysticam potestatē:

Vnam ſcilicet ordinis, alteram iuriſdi-ctionis. Ordinis poteſtas illa eſt, quæ ſacerdotij rationem naturámque concomitatur: per quam (inquam) ſacerdos in ſe habet vt à peccatis hominem abſoluere poſsit. Illam verò iuriſdictionis poteſtatem dicimus, qua in alterum quis, veluti eius iudex, poteſt iudicium exercere. Omnibus igitur Apoſtolorum diſcipulorúmque ſucceſſoribus Chriſtus æquam ordinis contulit poteſtatem. Petri verò ſucceſſori nõ modò ordinis, verumetiam iuriſdictionis copioſiſsimam poteſtatem impartiuit. Illum enim Catholicæ ſuæ Eccleſiæ caput inſtituit, eíque & oues & agnos ſuos vt paſceret, fratréſque confirmaret imperauit. Cui autem omnifariam cuiuſpiam multitudinis demandatur cura, ei quoque & iuriſdictionis facultas impartitur. Conſiderandum præterea eſt, eum ipſum qui aliquẽ à peccato iure proprio debet abſoluere, vtraque authoritate oportere eſſe munitum. Niſi enim ordinis poteſtatem haberet, abſoluere neminẽ poſſet. Niſi etiam in aliquem, tanquam in ſubditum iuriſdictione potiretur, in ipſum

non poſſet iudicium,quod ad abſoluendum exigitur,exercere. Omne enim iudicium in ſubditum exercetur. Quemadmodum & cuiuſlibet virtutis propriꝰ actus propriam depoſcit materiam: Iuriſdictione autem atque prælatione quis ſubditus efficitur ſacerdoti. Quamobrē Romanus Pontifex, cuius iuriſdictio in omnes effunditur, Chriſtianum quēque à peccato poteſt abſoluere. Cæteri verò ſacerdotes non quoſlibet, ſed eos tantummodo qui eis in ſubditos fuerint definiti. Cæterùm quemadmodum non in omnes ſacerdos quilibet ſui ordinis poteſtate vti poteſt (niſi fortaſſe caſus ſeſe mortis obtulerit, etſi ſacerdotalis poteſtas ſuapte naturâ ſit ampla:) Ita quanquam in omnia poteſt crimina,vti tamē ampla hac poteſtate nō poteſt,vbi is qui Chriſtianam Rempubl. in ſpiritualibus moderatur,aliquam eiuſmodi poteſtatis vſui modum terminúmque præſcripſerit. Vnicuique enim Principatui commune eſt,vt ſub Principis poteſtate ita omnium ordinum capita conſtituta ſint, vt nihil agant,niſi quantum eis à Principe fuerit demandatum, aut certè permiſ-

ſum. Nam quemadmodum eos conſti-
tuere iudices quos idoneos iudicauerit,
in eius eſt arbitrio collocatum:ita & cau
ſarum certum numerum certámque na-
turam, eorũ iudicio permittere poteſt,
cæteris ſuo reſeruatis arbitrio. In cæle-
ſtis nãque hierarchiæ ordine, quæ rebus
omnibus corporalibus præeſt,illi Ange-
lorum ordini(quos Poteſtates appellãt)
inferiora omnia, diuina diſpoſitione ſub
iecta eſſe ſacrorum authorum nixi au-
thoritate cẽſemus. Principatibus qui na
turâ inferiores ſunt,ſingulas diſtribuim⁹
prouincias. Angelis verò qui Principa-
tibus ſubſunt,particularium hominũ cu-
ram adſcribimus. Sícque quanto in in-
feriori naturæ loco Angeli ſunt conſti-
tuti,tanto virtutis eorum vſus limitatior
atque contractior.Conceſſerim ergo ſa-
cerdotibus omnibus & à Chriſto, & ab
eorum conſecratore dictum eſſe,Quo-
rum remiſeritis peccata,remittũtur eis:
& quorum retinueritis, retenta ſunt:at-
que idcirco parem in omnibus eſſe ordi-
nis poteſtatẽ. Sed iſtud addiderim,eiuſ-
modi poteſtatis vſum, quantum ad pec-
catorum abſolutionem,in eos tantũmo-

do qui sint subditi, in eáq; dūtaxat crimina, quæ suo superior iudicio non reseruarit, exerceri posse. Bene enim institutæ Reipub ordo deposcit, vt ille ipse qui supremum in ea ordinem gradúmq; tenet, inferiorum omnium ordinum moderator existat. Quamobrē vt in huiusce sacerdotalis potestatis vsu designaretur ordo, Primùm soli Petro cælorū claues promittūtur, illíque soli, cæteris spectantibus Apostolis, dicitur, Quodcunq; solueris super terram, &c. Tum aliis ligandi atque soluendi tribuitur facultas. Ex hoc ipse enim collatæ potestatis ordine possumus apertè deprehendere, sacerdotum omnium potestatem sub authoritate Petri fuisse constitutam, posséque à Petro potestatis illius vsum ad certas personas, ad definitáque crimina collimitari. At illud prætereundum non est; quòd etsi iurisdictionis potestas ad extrinsecum contentiosúmque causarum iudicium referri videatur: communiori tamen Catholicorum vsu & ipsa facultas aliquem in secretiori conscientiæ foro iudicandi, iurisdictionis potestas appellatur. Est enim facultas quædam sub-

dito in pœnitētiæ foro ius dicendi. Qua itaque fronte (vt eò reuertar vnde digressus sum) negare quispiam ausit, posse Pontificem max. quædam ad se flagitia esse referēda decernere? Totus enim Ecclesiasticæ Hierarchiæ inuertitur ordo, quædámque in Christiana Republ. suboritur confusio, si Episcopi Romano Pontifici, Episcopísque presbyteri omni ex parte constituuntur æquales. Efficitur enim vt nullus sit Ecclesiæ Principatus, Christianáque Respub. nulla sit. Quanquam enim sub aliquod tēpus inter maiores minorésq; presbyteros nulla nominis differentia fuerit (vt diuus Hieronymus in epistola ad Titium scribens, testatur) Promiscuè nanque (vt ex priori ad Timoth. epist. cap. 5. & ex libro de Actibus apostolorum, cap. 20 constat, Episcopi dicebantur atque presbyteri.) Re tamen ipsa (vt est apud beatū Dionysium, lib. de Ecclesiast. Hierarch. ca. 5.) quædam semper inter eos, etiam Apostolorum temporibus, authoritatis fuit distinctio. Vnde gloss. super illud, Luc. 10. Post hæc autē designauit Dominus &c. Sicut, inquit, in Apostolis forma est Episcoporum

ſcoporum, ſic & in ſeptuaginta duobus diſcipulis forma eſt presbyterorum ſecundi ordinis. Eccleſiæ deinde cõſuetudine ad euitationem ſchiſmatis inoleuit, vt maiores ſacerdotes, Epiſcopi: minores verò, presbyteri nominentur. Quare presbyteros Epiſcopóſque pari eſſe authoritate fateri, inter hæretica dogmata Arrianorum beatus Auguſt. in lib. de Hereſibus, enarrauit. At quęrere poſſent Lutherani: Agedum, poſsit Roma. Pontifex; poſſunt & reliqui Antiſtites, quæ voluerint crimina ſuo reſeruare iudicio: quod commodum, quam vtilitatẽ, Chriſtiano populo adferet hæc criminũ reſeruatio? Videtur enim hoc diabolicũ eſſe inuentum, fuiſſéque ad quæſtũ tantummodo excogitatum: quando præſertim offerre pecuniã oporteat, ſi debeat eiuſmodi criminis abſolutio à Pontificibus extorqueri, vtilitatem dicam. Sed primùm, falſum quod iaciunt fundamẽtum, eſt eruendum. Non eſt (vt fingunt) ad quæſtum, ſed ad ſalutem hominum hæc criminũ reſeruatio excogitata. Sunt fortaſſe epiſcoporum quidam, qui eo auaritiæ ac ſacrilegij ſcelere commacu-

lentur, vt quæstus gratia quædam ad se euocent crimina. Sed qui veræ religionis Christianæ obseruatores sunt, ad Christianorum tantummodò salutem hac in re prospectant: nihílque aliud curant, quàm vt Christo animas eius sanguine redemptas, reddãt innocuas. Hæc ergo reseruationis criminũ vtilitas est, quòd à maioribus grauioribúsque flagitiis perditi homines absterrẽtur, dum in obtinenda eorum absolutione paratam ipsis esse difficultatem intelligunt: vidéntque ad Pontifices recurrẽdum esse. Hac eadem ratione pecuniaria nonnunquã pro eiusmodi criminibus inducitur pœna. Nam in tantùm auaritiæ cumulum deuenerimus, vt pluris pecuniarum iacturam faciamus, quàm ieiuniorum, quàm peregrinationum, quàm vigiliarum omnium cruciatum. Quò fit, vt qui in flagitia proni sunt, pecuniariâ magis quàm quâuis alia pœnâ à perpetratione crimium deterreatur. Hoc igitur commodi ex hac peccatorum reseruatione referimus, quòd ab ea peccandi licentia deterremur, quæ nos in æternam damnationem præcipites fortasse trahe-

ret. Neque igitur Romanæ ſedis, neque Præſulum aliorum conſuetudo (vt quædam grauiora ad eorum tribunalia trahantur crimina) vllâ eſt ex parte damnanda: quando non pecuniarum cupiditati, ſed extirpandi ſceleris deſiderio ſit adſcribenda. At quoniam in eam incidimus temporum calamitatem, vt à perditis quibuſque, obſcuríſque hominíbus Romanæ ſedis taxentur mores. (Quanuis pia quadam animi religione ſint à ſanctis Patribus introducti:) ſanctiſsimum fortaſſe eſſet, ſi legibus decerneretur, ne Sacerdos quiſpiam pecuniariam ſibi pœnam pro Confeſsionis auditione depoſceret. Sed ſi ſcelerum grauitas, perſonarũque conditio poſtularet, vt pecuniariâ peccator dilueretur pœna, eâ in Chriſti pauperes, confeſſoris arbitrio partiretur.

An Seruitus, qua hominis seruus aliquis constituitur, cum Euangelica Libertate consentiat.

CAP. XX.



Voniam autem plerũque euenit, vt vnus in priuatã alterius ser uitutem cedat: nõ ab re sanè erit vestigare, an Seruitus hæc possit cum Euangelica Libertate conuenire. Nam si Christi beneficio ab omni seruitute vindicamur, quî Christianæ legi congruum esse potest, vt is qui in Christi militiam nomen dedit, in pistrinum dedatur, ad molam, iugúmque subeat seruitutis? Quòd si Christianum hominem seruitus dederet, estque à Christianis legibus aliena: quid causæ est, quòd Romanus Pontifex (cuius est Christianorũ Libertatem ad sanguinem tueri) hanc fert hominum seruitutem, eámque comminentibus oculis prætereit atque dissimulat? Principi enim, ei-

præſertim qui vicariam Chriſti perſonam gerat, tam turpe eſt, mala æquo animo tolerare, quàm iniqua cõmittere. Accedit, quòd qui fidem Chriſti profitentur, Dei filij ſunt cenſendi. Vt enim Ioan. primo cap. dicitur, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. Filij autem Dei ab omni ſeruitute ſunt liberi; iuſta illud Matt. 17. Ergo liberi ſunt filij. Cæterùm, ea ſeruitutis ratione ſpeciéque prætermiſſa, quà is qui alteri aliquo iure ſubiicitur, eius ſeruus modo poteſt nuncupari. Atque etiam ea, de qua Philoſop. 1 Politic. tractans inquit, eos qui mente prouidere poſſunt, ſuapte naturâ dominos eſſe: qui verò nequeunt prouidere, ſed corpore quæ iubentur exequi valent, naturaliter ſeruos. De ea ſeruitute habendus ſermo nobis eſt, qua quis lege conſtituta alterius gratia tantummodo, hoc eſt ad alterius cõmodum operatur. Sicuti liber homo is dicitur, qui in propriam vtilitatem ſua poteſt opera retorquere. Attẽdendum autem diligenter cenſeo, hanc hominum ſeruitutem naturæ vno quidem modo congruere, alio verò repu-

gnare. Nam si naturam hanc nostram vt est communi vitio deprauata, spectemus, naturalis profectò aliqua ex parte dici potest: vt est fames, vt ægritudo, vt mors, cæteráque id genus corporis incommoda. Naturalis enim ratio hoc in primis suggerit, vt boni simus, legibúsq; rationis nostrum viuendi modum accõmodemus. Quòd si eueniat vt à recto peccando secedamus, hoc secundo loco suadet ratio, vt cõmeritam peccati pœnam persoluamus. Quum itaque à diuina lege, humana nostra natura vix in lucem edita desciuerit, illi iure optimo, naturali consentiente ratione, est in peccati vindictam irrogatum: vt cum aliis corporis incommodis vnus etiam in alterius hominis possit cedere seruitutē. Quare si primum nostræ mentis consideremus, esse præter naturam hanc hominis seruitutē cēseamus oportet. Nam quum primum nostræ mentis institutũ sit vt boni efficiamur, nostrámque virtuti operam incũbamus: si à virtute deficimus, hácque ob causam in iugum labimur seruitutis: neminem latet hanc corporis seruitutem præter primã men-

tis intentionem euenire. Quòd si secundũ naturæ quæ peccauit, spectetur propositũ, naturalis profectò nobis est hic seruitutis euentus. Quippe quòd quàm maximè naturali rationi consentaneum sit, vt eam diuini doni destitutioné, quá peccando commeriti sumus, quàm plura corporis sequantur incommoda, quæ diuino illo munere tenebantur occlusa. Quemadmodũ enim hæc est prima naturæ generalis intentio, vt fœtus integer, omníque ex parte perfectus edatur. secũda verò, vt si perfectus edi non potest, quod proximũ perfectioni est, mancus & imbecillus edatur. (Vnde & mõstruosi partus etiam à natura modo quo dam prouenire dicuntur.) Ita & prima nostræ rationis inclinatio est, vt virtute moribúsque ornati simus. Secunda verò, vt si à virtute diuinísque legibus mẽtem auerterimus, per corporis icommoda, quibus cõnumeranda seruitus est, resarciatur culpa. Inde euenit, vt omnes corporis molestiæ, quæ primum hominis peccatum cõsequutæ sunt, vt fames, vt sitis, vt dolor, vt seruitus, naturalis ratio iusta esse definiat. Cæterùm & hoc

ſpectandum nobis eſt,ita naturalem aliqua ex parte hanc ſeruitutem eſſe,vt humanis etiam legibus ſit conſtituta.Nam quo pœna quædam hominis eſt ex parentum primorum crimine in poſteros propagata, naturali ratione ſuadetur quòd tamen huiuſce conditionis vir ſeruituti alterius adiiciendus ſit,humanis legibus definitũ eſt.Iſtud quoque prætereũdum non eſt,quòd qui duplicem ſeruitutem ſuperius eſſe dixerimus: eã ſcilicet,quâ is qui peccatum committit, Saluatoris noſtri ſententia, ſeruus eſt peccati:& eam,quâ vnus homo alteri ad ſeruilia obſequia,quæ(inquam)corporis vſu efficiuntur, eſt obſtrictus lege, Christi max.gratiâ ac beneficio ab vna ſumus ſeruitute redempti,ab altera verò minimè.De ſeipſo enim Apoſtol. ad Rom.cap.7.ait:Mente legi Dei ſeruio, carne autẽ legi peccati.Quòd quum ſeruitus hæc ad carnem,non ad animum ſpectet(Errat enim,iniquit Seneca.3.de Benefic.lib.ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominẽ deſcẽdere:Pars enim melior excepta eſt .Corpora obnoxia ſunt & adſcripta dominis, mens eſt ſui

Iuris.) Eam ipſam Chriſtiano quoque homini conuenire poſſe, haud dubium eſt. Nō enim Chriſtus humanam induit carnem, vt iuſtitiæ ordinem inturbaret: ſed vt per eius fidem in ſumma obſeruantia iuſtitia eſſet. Concedendum ergo indubiè eſt, Chriſtianæ illi libertati, quam nobis Chriſtus Opt. comparauit, hanc corporis non repugnare ſeruitutē: quando præſertim humilitatem ſibi noſtra religio maximis in lucris collocauit. Quamobrem, ſi ſeruus quiſpiam Baptiſmate diluatur, libertatem quidem nanciſcitur à peccato: ſed ab ea ſeruitute, quâ homini eſt adſcriptus, minimè liberatur. Hoc autē ex quàm plurimis ſacræ ſcripturę locis confirmari facillimè poteſt: in quibus de ſeruis Chriſtianis expreſſa fit mētio. Ad Coloſſ. enim ca. 3. inquit Apoſtolus: Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, nō ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes: ſed in ſimplicitate cordis timentes Dominum. Itē ad Epheſ. cap. 6. Serui, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto. Ad Titū, quoque. 2. cap. ſcri-

bens,ca.2.ait:Serui,ſubditi eſtote in omni timore dominis,non tantùm bonis & modeſtis,ſed etiam diſcolis.Si ab omni humana ſeruitute Chriſtiani liberi eſſe deberent,tanto ab hiſce Apoſtolis non admonerentur ſtudio,vt ſuis dominis in timore ſeruirent.Niſi nanque Chriſtianorum aliqui extitiſſent ſerui,nequaquá ſuas ad ſeruos exhortationes Apoſtoli cõuertiſſent.Videtur & à diuina lege ſeruitus hæc duxiſſe originem:& tam iure gentium,quàm Ciuili,ac Põtificia lege (quam conſultò prætereo) confirmata. Filio enim ſuo Chá,maledicés Noe ait: Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis.Cæterùm,licet humana hæc ſeruitus Euangelicæ nõ deroget Libertati,hominis tamen legibus aliquis illi modus conſtitutus eſt.Aliqui enim Canonicæ legis diſpoſitione,aliqui verò Ciuilis iuris ſanctionibus efficiuntur ſerui.Verùm quòd aliquos emptione emptoris ſeruos eſſe definiunt,ſi ad Chriſtianos referatur,intelligendum eſt,dummodò aſcripti antea fuerint ſeruituti. Nam Chriſtianus is qui núquam alterius ſeruum egit,per emptionem conſtitui ſeruus legum de-

claratione non poteſt. Sunt enim qui & ab ipſa natiuitate adacti ſint ſeruituti: ij (inquam) qui ex ſerua enaſcũtur matre. Multa ſunt de eiuſmodi ſeruitute Principum legibus definita: ſed breuitati ſtudens, omitto. Hoc ipſum tantummodò repetens dixerim, per eam Euangelicam Libertatẽ, quam nobis ſeruator noſter Chriſtus Dominus, ſuo ſanguine comparauit, hanc ſeruitutis conditionem adẽptam non eſſe: quippe quòd ea corporis tantũmodò ſit: Chriſti verò operâ animi ſimus Libertate donati. Quanquã enim gratia Dei filij Dei conſtituamur: atque iccirco à peccati ſeruitute in plenam animi Libertatem vindicamur: eam tamẽ nõ effugim⁹ ſeruitutẽ, qua in alterius obſequia obſtringi poſſumus ac deuinciri.

Quæ ſint Euangelicæ Libertati uerè contraria.

CAP. XXI.



Væ Euangelicam apud Lutheranos videbãtur euertere Libertatẽ, ea nos cum ipsa magnopere conuenire superiùs ostendimus. Restat vt ea breui stylo disquiramus, quæ hanc Libertatem diruunt, funditúsque euertunt. Igitur quum primam insigniorémque Christianorum libertatem eam esse definiuerimus, quæ hominem à peccati seruitute diducit: hoc ipsum imprimis Euangelicæ Libertati derogare dicemus, quod hominem in peccati coniicit seruitutem. Cæterùm quæsierit quispiam, an quecunque Christianus crimine commaculetur, Euangelica destituatur Libertate, in miserámque seruitutem pertrahatur: propterea quòd eũ qui peccatum facit, seruum esse peccati Dominus definierit. Putauerim ego non hanc esse Domini sententiam, vt quum primùm quispiam crimẽ admiserit, perpetuæ peccati seruituti sit addictus: Sed tunc tantummodò peccati seruum effici, quum perseuerat in crimine, nullámque adhibet studium, vt sese de peccati

culpa proripiat. Nam peccatum (vt est apud B. Gregorium) quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit. Qui enim aliquo irretitur vitio, nulláque inde se diuellere arte nititur ac perquirit, tanquam peccati captiuus, malóque affectus animo, in similia facillimè prolabitur crimina. Quare qui mente obstinata, induratóque animo, Sacrosanctam Romanam sedem, communem Christianorum omnium matrem, suis impetit maledictis: ipsúmque Romanum Pontificem maximum nostrum omnium Patrem, Pastorem, ac Gubernatorem, de suo deiicere throno conatur: is profectò contra Libertatem Christianã pugnat, nephãdissimique sceleris cõstituitur seru⁹, villissimũque mancipiũ. An non peccati extremã subit seruitutẽ, qui Matri huic nostræ, omni ex parte sanctissimæ, sanctissimóque itidem Patri vllas execrando etiam mẽdacio maculas omnibus quibus potest modis, studet inurere. Qui enim (inquit Dominus) patri aut matri maledixerit, morte moriatur. Si is præterea à Deo Optimo Maximo ma-

Ecclesia cõmuuis omnium fidelium mater Summ⁹ autem Ponti. Pater.

ledicitur, qui matris suæ turpitudinem reuelauerit: quid illi euenturum censemus, qui aduersus matrem falsa commentitiáque crimina confinxerit? Ecquid? num est Cham ob crimen in parentem commissum, ab ipso suo parente maledictus? Quid ergo vobis, Lutherani, quid tandem superuenturum putatis, qui aduersus patrem vestrũ Romanum Pontificem innumeras calumnias ementiri non erubescitis: ipsúmque non modò vos, derisui habere videmini, verumetiam fratres vestros, vt illi subsannent, nasúmq; contorqueant, prouocatis? Omne quidem virus vestrũ in Pontificis primùm detractionem colligitis, tùm illud aduersus Romanam Ecclesiam, non minus vestro, quàm aliorum detrimento profunditis. Hoc sanè est quod vos ab Euangelica Libertate propellit, in miserrimámque peccati seruitutem adducit. Quoniã enim Patri, Pastoríque vestro parère contemnitis, imò eius instituta pessundatis, imò Christi fideles in eius armatis perniciẽ: attrocissimo vestro hosti inseruiatis oportet. Quò fit, vt dum cæteros vestrã

opinione (rectiùs dixerim vestris ineptiis) vestrìsque commentis, in libertatem asserere velle contenditis: ipsi non modò in seruitutem, verumetiam in calamitosam atque miseriarum plenam vitam incauti imprudentésque incidatis. Nunquid præterea non à fundamentis Christianã eruitis Libertatem, quum omnium Patrum omniúmque Conciliorum decreta damnatis: atque eorũ leges & sanctiones abrogandas esse publicè prædicatis? Quid? nónne Christianum populum à sanctissimorum Antistitũ statutis auertitis, vt vestris eos moribus, vestrísque sordidissimis implicetis inuentis? Sed dum condendarum legum facultatem à Romano Pontifice (qui Christi locum tenet in terris) à sanctísque illis Patribus, quibus continuè ante mentis oculos obuersatur Christus, adimitis, in vestram diabolíque perpetuam seruitutem vniuersos vindicatis. Sícque perditâ vestrâ operâ, fallaciq́ue studio Christiana Libertas prostrata iacet, pedibúsque calcatur. Quãobrem quod Matth. 9. cap. legimus, vestris infandis moribus optimè quadrat. Si enim (inquit dominus no-

ster) vinum nouũ mittatur in vtres veteres, vtres rumpuntur, & vinum effunditur. Hoc est, Si perfectæ vitæ mandata in imperfectos homines immittantur, contemnuntur certè, reiiciuntur, proculcantur: atque ex ipso cótemptu in peiora grauioráque crimina ipsi imperfecti homines dilabuntur. An non recordamini in Prouerbiorum libro perscribi: Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt? Paulus quoque ad Rom. scribens, 12. cap. ait: Omnis potestas humana à Deo est: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit? Nunquid vsqueadeò cæcutitis, luminibúsque capti estis, vt vos in peccati seruitutem, in manúsque diaboli præcipites, dari non deprehendatis? Si vos Euangelicæ Libertatis incessit desiderium, parendum vobis est Pontificiæ potestati, parẽdum authoritati Ecclesiæ, parendum sacrorum Cõciliorum decretis. Cõfitendum præterea vobis est ad Euangelicã Libertatem hoc maximè pertinere, vt pro maximorum Pontificum voluntate condantur leges, quæ in Christiani populi commodũ fine & vtilitatem. Cæterùm, te appellauerim,

Euthere,

Luthere, Dicito mihi: Nuñquid non à Chriſtiana Libertate, à bonis moribus, à fidej integritate digreditur, qui ſe ab vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine pro ſua volũtate ſubducit, alióſque vt ſe ab eius præripiant inſtitutis, hortatur, admonet, impellit? Audi quod ad Caſulanum ſcribit B. Auguſtinus: Mos, inquit, populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege ſunt tenenda. Et ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita & comtemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarũ coercendi ſunt. Quid? Nónne ab Eccleſiæ moribus tui abhorrent ſectatores? Nónne tu alienas à Chriſti Eccleſia leges inducis? Quis autem te legumlatorem, imò iuſtarum omnium legum diſtractorem euerſoréque conſtituit? Vnde huiuſce poteſtatis tibi poſsis fidem arrogare? Nunquid à Chriſtiano delectus es populo, vt eius leges, ſtatuta, decreta proſtituas? Huius electionis profer diplomata. Si tu à Chriſto Opt. Max. tua temeritate delectum contenderis, quod nobis indiciũ affers? Cui etiam iurato credendum non eſſet, ſimplici eius aſſertioni adhibebimus fidem? Nouimus ſanè cum diuo Chriſo-

ſtomo,neſcire diuinam iuſtitiam,patrociniũ præſtare criminibus.Quòd ſi tete Chriſtiani populi doctorem, gubernatorem,moderatorem conſtitueris,Apoſtolicæ memento ſententiæ: Nec quiſquam aſſumit honorem ſibi,ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.Vereor ſanè,ne quod Antiocho contigit,id quoque tibi in malam crucem eueniat. Pari enim pœna plectendi ſunt qui paria cõmittunt crimina.An nõ ſimilia,Luthere,Antiochi criminibus commiſiſti? Ille Iudaicum populum,qui ſub peculiarem quandam Dei tutelã agebat vitam,à patribus(vt 2. Machab.lib.legitur) transferri compulit.; iuſsit vt templum quod Hieroſolymis erat,contaminaretur, Iouíſque Olympi diceretur, templum illud luxuria & comeſſationibus repleuit. Sabbata poſtremò & ſolénes patrios ritus ſuſtulit:Nunquid non tu Chriſtianũ populũ à ſuis patriis legibus in tuas impias ſacrilegáſque traditiones tranſtuliſti? Nunquid non Chriſti templum,hoc eſt Eccleſiam Chriſtianam, commaculaſti,fœdaſti,contaminaſti? Nunquid nõ ſanctiſsimum hoc templum luxuria co-

meſſationibúſq; repleſti? Nunquid non Sabbata ſolennéſque ritus Chriſtianos aboleuiſti ? Quemadmodum igitur de Antiocho legitur, quoniam orabat ſceleſtus dominum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus : ita & te, inutilis manet pœnitẽtia. Si te Chriſtiana Libertas tãtopere delectat, verã quære Chriſtianorum libertatem: eam, inquam, quæ à peccato liberat: non eam quæ eſt cum peccati ſeruitute coniũcta. Noli à Chriſti lege deſciſcere, noli antiquos noſtros mores abiicere, noli antiquam tuam fidẽ immutare : ſed diuum Hieronymũ, non minus ſanctum quàm doctum, ſequere, qui ad Pammachium & Octauium ſcribẽs ait: Illam ſemper tenebo fidẽ, in qua natus ſum ; Sit, Germani populi Chriſtianiſsimi ſemper habiti, ſit (inquam) apud vos anathema, qui vobis aliam fidẽ, alios mores prædicat, quàm ſancta Romana doceat Eccleſia: igníque interdicatur & aqua : imò aut abſumatur igni, aut aqua ſuffocetur. Nunquid non illius ſeruatoris noſtri monitionis memoriam tenetis, quâ ait: Qui ſcãdalizauerit vnũ de puſillis iſtis qui in me credunt, expe-

dit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria collo eius,& demergatur in profundum maris? An non putatis ſceleſtum iſtum Lutherũ vobis eſſe ſcandalo,qui vos in diaboli manus iniicere ſtudet? qui ſacras veſtras virgines commaculat? qui religioſorum vota proſternit? qui denique totis viribus incredibili molitur audaciâ:vt Dei Max.iram furorémque in veſtra damna conuertat? Eámne Euangelicam libertatem,quæ perpetuò vos diuini numinis hoſtes efficiat? Non eſt hæc libertas vobis, qui Chriſtum Opti. Max.præ omnibus nationibus colere cõſueuiſtis,exquirenda: ſed ea quæ vos ad bene viuendum, ad veram fidem,ad Romanæ ſedis obedientiam,ad Dei beneuolentiam viam paret. Quam voluerit fidem, libertatem, licentiam, Lutherus habeat: nos Sacroſanctam Romanam Eccleſiã veneremur colamúſque, eámque Euangelicam eſſe Libertatem exiſtimemus: quam Romani Pontifices, quam antiqui Patres,quam ſacra Concilia celebrarunt.

FINIS.

Summa Capitulorum.